











THOMAE JORDANI MEDICI,

LUIS NOVÆ IN MORAVIA EXORTÆ DESCRIPTIO:

ad

MAG. ET CLAR. V. D.D. JULIUM ALEXAND. TRIDENT.

III. EX ORDINE IMP.P.P. AVG.G.G. ARCHIATRVM.



FRANCOFVRTI,
Apud And. Wechelum.
M. D. LXXX.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



T. IORDANVS MEDICUS CL. VIRO D.D. JULIO ALEXANDRINO S. D.



Uotiescunq; mentem subit suavissima recordatio dulcissimæ conversationis, Viennæ inter nos habitæ: certæ meæ me sortis nunc pudet, tædet, atque miseret. Nam cúm illustrioribus Galliarum & Italiæ gymnasiis peragratis, eô concessissem: tanto amore benevolentiaque me complexi estis, ut humanissimarũ gentium, eruditissimorum virorum, quibus unquam cõvixeram, blandissimos vultus,

in exteros raram pietatem, & mansuetudinem, multis parasangis mihi superasse videremini. Lutetiæ quidem in Philosophia Adrianum Turnebum, & Iacobum Carpentariũ: in medicis Goupylum & Duretum audire contigit. In Monte Pessulano Rondeletii primúm, postea etiã Jouberti domestica usus sum familiaritate: Patavii, Trincavellam illum magnum, Bellacatum, atque Capivacium præceptores habui: Bononiæ, præter Fracancianum, etiam Cardanũ admirandum: Pisis, Vidum Vidium: Romæ, Bartholomæum Eustachium, docentes audivi: ægris autem invisendis Hippolyto Salviano & Alexandro Petronio assæclam me præbui. Hi, pro solita sua humanitate, ingenio formando, meque erudiendo, ut nihil reliquum fecerũt, ita indole mea qualicunque delectati, nescio quid minimé gregarium de me sibi promittentes, scientiæ

ſuæ theſauros a me abſconditos eſſe noluerunt. Viennam cúm veni, non ſemper auditor, ſed quæ lucubrationibus aliquot annorum audita & obſervata recondideram, in publicum producturus, Viros Senatorios graves, Medicos principes, vereq; Imperatorios, quibus Cæſ. Aug. ſobolisq; Auguſtæ valetudo credita erat, te inprimis Alexandrine clariſsime, tum Cratonem, Franciſcum Parthinum, quibus poſthac Bieſius cooptatus, emporium veré Medicum reperi: qui in ſuam clientelam me receptũ, inſtituere, promovere, & evehere nunquam deſtiterunt: adeo, ut cúm ego illos colendo & obſervando, illi me ornando, par pari referremus, ſui deſideriũ, quod optimé meriti præceptores anté mihi inflixerant, vice illorum abundé expleta, non tam aboleretur quám leniretur. Admiſſus a vobis interdum ad medicas deliberationes, veluti anſerem inter olo-

res obstrepentem, indulgentia & facilitate vestra patientißimé tulistis: tum, in activa medicina, si quid circa ægros terrificum aut insolens contingeret, oraculum vestrum mihi perpetuó patuit, unde nunquam nō doctiorem me discessisse, neq; ut in Delphicis, ambigua responsa, sed certißima curationis præcepta semper retulisse, necessarió me fateri oportet. Nescio quo meo fato in has sum devolutus terras, ubi, licet ad vitā honesté neque illiberaliter traducendā, omnia abundé suppeditentur, animus tamen suo destitutus pabulo, reciproca studiorum æmulatione sublata, commercio literatorum privato, quid voluptatis residuum censes?

Steriles absque socio Musæ.

σὺν τὲ δύ' ἐρχομένοι.

Et amant alterna Camœnæ.

Verumtamen vitaturus improbam Syrenen desidiam, ne vili torpescerem

ocio,

ocio, quorum specimen videras, de peste tractatus absolvi: in lucem edidi. Postea ægris totus mancipatus, circa quid ingenium exercerem, vix aliquid ἀξιόλογον suppetebat, cúm ex improviso novus hic morbus emergens, meditationi materiam suggereret.

Auctores tum mihi fuerunt viri prudentes, sacrosanctæ amicitiæ nexu devincti, ne, cúm publico in provincia Medici munere fungerer, mea ætate, urbe domicilium mihi præbente, exortum inopinató morbum, & quidem κωμικὸς μάρτυς (alioqui reprehensionis crimen me vix evasurum quiritantes) intactum silentio præterirem, sed quid de eo censerem, meam dilucidé illis aperirem sententiam. Morem gessi: historiam paucis pagellis pertexui: quibus limatulo & politulo tuo opus est judicio: ut si quid θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισι, tuo calculo comprobares: tum quasi ἀπὸ τοῦ μη-

χαυνῆς certißimo curandi tramite ostenso, exemtisque tanta peste mortalibus παντοδαπῶν ἀλέκτηρ νούσων summo tuo jure dici merearе. Pignus quoq; meæ gratitudinis & observantiæ eas esse volui: e quibus, etsi gloriæ laudique tuæ nihil accedere poterit, nominis tamen tui celebritate illustratæ, tui inquam nominis genio ceu prætextu quodam ora plurimorum pervolitando, fortaßis etiam alios, ut de hoc morbo novo vel commententur, vel ejus causarum investigationi sollicitiús incumbant, sunt invitaturæ. Hoc, ut sincero animo profectum, tua consueta humanitate suscipias, meque paterno tuo amore prosequi ne cesses, quám maximé in votis habeo. Vale. Brunnæ Marcomannorum, XVIII. Octobris. Anno M.D.LIIXXX.

MAGNI-

MAGNIFICENTISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO, DOMINO THOMÆ JORDANO, MEDICO apud Moravos celeberrimo, Domino & amico meo honorandissimo.

SEriús omnino, quám putassem, aut voluissem, rescribo, vir præstantissime. In causa fuerunt occupationes quædam meæ, nec satis leves. Quæ tamen tam esse graves non potuerunt, ut doctissimum commentariolum tuum, cũ literis uná ad me missum non statim perlegerim, continuoq;, adeoq; etiam continué, lectione nempe continuata evolverim totum, idque cum maxima inter legendum voluptate, animique satisfactione.

Delectavit me mirum in modum novitas, delectarunt docté inprimis atq; eleganter expensa atque excussa omnia, apertæ quæ latere videbantur contagionis hujus causæ, probata, confirmataque argumentis, rationibusq; non inanibus cuncta, edita signa, notæque allatæ. Quæ diversum persuadere videbantur posse,

eadem responsionibus confutata in primis efficacibus, valdeque argumentosis, atque adeo quidem, ut quum primum inter legendum, nonnulla, ut tunc videbatur, animadversione aliqua digna occurrerent, paulúm deinde progressus, responsum omnibus, objectionibusque quæcunque fieri potuissent, satisfactum ad plenum esse viderim. Itaque de hoc tibi gratulor, téque ut medicinam nostra hac tempestate ditare, indies magis magisque hoc modo, atque his semper rationibus pergas, valde hortor. Quod autem, ut innuere videris, libellum hũc nomini meo dicandum esse existimaveris, id veró nequaquã facias velim, teq; summopere rogatum volo, alium tibi quæras, quem amicum hoc nomine facias, unde studii plus, & consilii, & favoris, & operæ, ad res promovendas tuas expectandum tibi sit. Non quin eadem ego quoque, & quidem pro veteri nostra amicitia, libentißimé præstiturus sim pro virili parte mea semper: sed senem vides jam me & invalidum, longeque gentium absum, ut exhibere me offitiosé paratum, quod res sæpe requirunt ipsæ, si maximé velim, non poßim. Habesque jam multorum annorum amicum me, ut non sim tibi novo aliquo offitio aut munere devinciendus. Sed is adhuc sim, qui tecum

cum ſemper fui, ac futurus in poſterum ſum, quoâd vixero, hoc eſt, amicus ex animo, quiq; omnia tua cauſa velim, moreſque tuos & probitatem, amaverim & eruditionem, nunc veró etiam exoſculer, ut nihil propterea fruſtra juſſurus ſis, ſi qua in re tibi me, aut rebus tuis inſervire poſſe putas. Vale. Tridenti 17. Febr. 1579.

Ex. T.

deditiſſimus,

Iulius Alexandrinus.

THOMÆ JORDANI MEDICI,

LUIS NOVÆ IN MORAVIA EXORTÆ DESCRIPTIO.

BRVNNA urbs Moraviæ primaria, Ptolemæi commẽtatoribus Arſicua & Arſicina: ipſa veró regio, veteribus Marcomannia dicta fuit. Fatale nomen urbi inditum, violenter detorto vocis etymo, ſunt qui aſſerant: ab ardendo nimirum, quód ante noſtra ſecula, ante hominum inquam memoriam, ſæpiſſime igne conflagraverit, uſurpatum aiunt vocabulum: quaſi veró τὸ αἴθειν, αἰθάλειν, φλέγειν, vel τὸ καίεσθαι, in vocabuli deductione aut pronunctiatione quid habeant cognationis mutuæ cum ardore ſeu Germanico *Brennen*.

Satius erat, miſſa obſoletorum vocabulorum curioſa diſquiſitione, ab irriguis fontibus Brunnam indigitare: niſi diverſum comprobaverit *Brno* Boemicum, τοῦ πρήθειν, πυρίοσειν, vel τῷ πυρὶ non prorſus diſcrepans. Et quia gentes Henetas & Vandalas

dalas

dalas initio has terras possedisse, oppidisque nomina imposuisse a veritate nõ est alienum. Ortui, Meridiei & Aquilonibus exposita est. Collis editus occidentem claudit. Occiduæ inquam urbis plagæ imminet mons: ejus supercilium arx *Spilmberg*, Marchionum Moraviæ Regia, & Matthię Pannonum Regis novem mensium obsidione celebris olim: ignis inclementiam & ipsa perpessa cœloque tacta, modó vetustate ruinosa, propé jam collapsa, occupat. Dextrum ejus latus, quod meridiem spectat, vinetis cinctum: adversum, imó toto ambitu, circumquâque, fructiferis arboribus consitum & hortis decorum, conspicitur. Perflatur Subsolanis, Vulturno, Nothis seu Austris, Aquilonibus, Etesiis: neque ita arduus & sublimis est mons, ut Favonios prorsus excludat. Inde aeris raram & miram salubritatem metimur. Vrbis regio Australis, loco editiore sacro Divi Petri delubro, & mystarum ædibus splendidior, in declive Eurum versus sese porrigit, & totam urbem cum agro cõtiguo, uno quasi intuitu, oculis subjicit. Extrinsecus saxo arduo, rupe præcipiti, inacces-

ſaque, procul advenientibus conſpicien-dam ſe offert. Amplis, longis, ſpatioſis ſuburbiis, ceu ramis & brachiis ſeſe urbs undiquaque expandit, iis præter cœnobia, ſuperbę molis & ſtructurę (Marchionum & Moraviæ procerum pervetuſtis celebratiſſima monumentis) tanta reperietur olitorum copia, tanta hortorum frequentia, ut cõtinua ſerie quibuſdam locis ad paſſuum M. aliquot extẽdantur. Amœnitas magna, ſplendor nullus, quæſtus uberrimus. Culinariis ſiquidem dapibus omnis generis eſculentis, oleribus, braſſica capitata (ſale maceratam, ſcrobibus altis ſubterraneis defoſſam, ſordidũ alimentum in annum conſervant, & caules rancidos eſitant) beta utraque, ſpinacea, petroſelino, paſtinaca, ſiſaro, rapis, raphano, allio, cepis, porro, lactucis, fenicu lo, piſis, ciceribus, cucumere, cucurbitis, melopeponibus, coronariis deniq; plantis adeó referti ſunt, ut ceu in penu & promtuarium theſauris congeſtis, majori regionis parti annonam ſuppeditent: imó ad vicinos quoque Auſtrios, merces culinarias & ruris opes catervatim deportent. Arbores tam ὡραίων fugacium

quám

quám ætatem qui ferunt fructuum feraces, nuſpiam univerſa provincia copioſiores. Abundant ceraſis tam dulcibus quám acidis, & quæ amarenas paſſim dicunt. Pomis tam decumanis quám nanis & mediis: præcocibus non minus quám ſerotinis, quemadmodum etiam piris omnium ſaporum, mitibus & quibuſdam adeó pertinacibus, ut cum Borea certamine ſuſcepto, vix miteſcant eſuiq; apta reddantur, niſi anno vertente gravidas novo fœtu arbores conſpexerint, quaſi tum demũ fatis ceſſura, cúm redivivam poſteris reliquerint ſobolem. Κοκκυμήλων genus exiguũ, a loco denominationem ſortitum (Brunnenſia pruna vulgus indigitat) tam ſuavia, palato gratiſſima, cúm appenſa laquearibus aut ſoli expoſita aquea humiditate conſumta non nihil criſpa & corrugata fuerint, tam ciendæ alvo, citra ullam moleſtiam, congrua, ut ſi ſpectes delicias palati, etiam ficus recentes aut ſi quid ſimile aliud, facilé præ iis contemſeris: dejectoria vi Caſſiam & Mannam longé a ſe relinquant. Eapropter ſummopere primis menſis deſiderata, vaſculis incluſa in vicinam Sauro-

matum Cracoviam, Silesiorum Vratislaviam, caput Austrię Viennam, aliaq; emporia, certatim cõvehuntur & cruda esitantur. Expetita ob eas dotes, etiam Romanis Cardinalibus, hinc thecis inclusa exiguis, per veredarios cursores missa novimus: cujus inquam solutivæ facultatis merito, Myxariis, seu Sebestenis prunulis, licet facie differentissimis, accensenda, nonnulli statuêre. Nigro & Suittano amnibus alluitur: quorum ille piscosus satis amplior a Septentrione: hic ab oriẽte æstivo seu solstitiali e vicinis Boiemiæ jugis (quæ saltus Hercinii appendices dixerim) emergentes, ille Aquilonari & occiduo urbis latere prætervectus: hic Orientalem & Australem mœnium lambens partem, nõ longé ab urbe commiscentur, & ceu ab ampliore hic absorptus, proprio nomine amisso, in illius coloniam & denominationem transit. Ager frumenti, omnis generis leguminum & frugum Cerealium feracissimus, dives (ut ille ait) ubere glebæ. Campi patentes, prata virentia amœnissima, cis & uls fluvium Nigrum. Non procul absunt colles vitibus decori, nemora, valles irriguæ,

irriguæ, ſylvæ non horridæ vel adeó denſæ, ſed quæ & ædium ſubſtructionibus & foco non parcam ſubminiſtrent materiam. Palus nulla, aquis ſtagnantibus caret, niſi cúm æſtivis imbribus aut verno tempore nives montibus ſolutæ rapidos auxerint torrentes, qui raptis fluviorum marginibus tuguria ſegeteſque abripiunt & campos laté obruunt. Sed hæc paucorum dierum calamitas. Imó cúm Moravia piſcinis ita ſcateat, ut magnatum hinc proventus emergat longé uberrimus, & propemodũ affirmari poſſit, aquas nõ multo minus quám tellurem ſpacii occupare, heîc nullæ, niſi Septentriones ſi petas, intra miliaris ſpacium ſeſe contingentia quatuor ſaltem conſpicias aquis limpidiſſimis repleta vivaria. Hinc evenit, quia ſolum ſponte alimoniam profuſiſſimé producit, annonamq; liberaliter ſuppeditat, ut gens durioribus nõ exerceatur laboribus: cupediis, vino, & genio plus quám par eſt, indulgent, opiparis aſſueti ferculis certatim ſeſe invitant: dum epulantur carnibus piſces varia aromatum conditura infectos commiſcendo, ſuam irritant ὄρεξιν: vineis co-

lendis, vini mercimonia quæſtum faciunt, domi cauponariam exercent: Vivitur in diem, ſaginæ dediti voluptatibus cúm ſint obſequentes, parum juvant hæredem. Agricolæ utriuſque ſexus, & quibus res ſunt acciſæ, ad temulentiam uſque cereviſia ſeſe ingurgitant, eâdem locupletes mero æſtuantes voluptatem explent: eduliorum duntaxat & cibariorum præparationi aqua relegata: profluentem & quæ tubis advehitur in potu aſpernati, puteales veró nitro pollutas accuſantes, vinum & cerviſiam illis ſubſtituunt: eoq; parciores in aquæ dotibus perſtringendis nos eſſe decuit.

Topographica hæc deſcriptio, ſi cui curioſa, non hujus loci neque inſtituti, prorſuſque ἀπροσδιονύσῃ videbitur, telum acerbitatis in Hippocratem contorqueat, qui contexendis ægrorum hiſtoriis, morborum naturas perveſtigaturus, ſuis περὶ ἐπιδημιῶν libris, non ſolum Thaſi, Crannonis, Inſularum ſitum accuraté depingit: cuinam mundi plagæ eſſent ſubjectę, ſoles an meridianos, vel oppoſitos haberent, quas potarent aquas, cujuſmodi leguminibus veſcerentur, ad amuſſim deſcribit:

ſcribit: verúm etiam oppidorum Cyzici, Abderis, Lariſſæ, Melibœæ, ſitum, privatas ęgrorũ ædes, nomina, plateas, vicos, fana, vicinos quibus domus erant contiguæ portus, quaſi digito commonſtrat. Legere eſt Philiſcus ad murum, Silenus apud Platamonem, prope Evalcis filios habitantes. Eraſinus juxta Bootæ torrentem. Melidia prope Junonis ſacrũ in Dealcis horto. Alii prope Telluris, Herculis, Dianæ, ædem: Mulier in mendaciorũ foro, in littore, in ingreſſu templi Abderitani, ad Thracias portas ibidem jacentes. Obiter iſta parciſſimum verborum, authorem graviſſimum Hippocratem, temereq; annotaſſe quis crediderit? Nonne exordio libri de aere, locis & aquis, medicis eadem ut obſervẽt pręcipit? Nobisne inſolitum, ne dicam novum morbum deſcripturis oppidi delineatio tranſitoria interdici debuit? Vitæ inſtitutum & mores gentis, ſi quem pupugerint, ὑπερασπιστὴν eundem objicimus. Siquidem eo prætermiſſo, natura labis, de qua paulo poſt ſumus dicturi, exacté cognoſci minimé potuiſſet. Cúm enim non levis in diætæ examine medico in-

cumbat provincia, plurimumque intersit, an cives vitam ſub dio, aut trepidis agant in rebus, vel umbratili vitæ dediti, vili torpeant ocio: num ingluviei mancipati, temperantiæ legibus profligatis, cō-tinentiæ ſepta tranſiliverint, aut frugalē moderatamque amplectantur vitam: habita inquam diætæ (quæ non ſolúm in cibis & potibus conſiſtit, ſed & in omnibus aliis, ut ocio, gymnaſiis, lavacris, venere, ſomno, atque omnibus quovis modo factis in corporibus hominum) conſideratione, tandem conſequutione deducit, an munda vel immunda, bonis inquam ſuccis plena, vel pravis humoribus turgentia lues corpora repererit: quod quantum ad curationem momentū habeat, medicis eſt notiſſimum.

Gal. in 3. Epid. Com. 3. Textu 9.

Brunnæ igitur lues, cujus hiſtoriam pertexere inſtituimus, miſeranda coorta eſt: quæ licet paucos jugulaverit, eoq; peſtilentis denominatione minimé inſigniri debuit, inſolita tamen facie, horrendis ſymptomatis, intra duorum triumve menſium ſpacium, ad octoginta oppidanorum corripuit: ſuburbanorum ſupra C. dicantur infecta, in cāpis omni au-

xilio

xilio deſtituti, paſſim oberrantes, viſuntur infiniti. E cenſu illorum fuere etiam Equeſtris ordinis viri, cives ſpectatæ fidei & probitatis, matronæ famæ integerrimæ, intemeratæque pudicitiæ virgines. Quid morbi eſſet, latuit initio omnes: magnus interea rumor, multa vociferatio: cauſarum nulla apud plebem imperitam diſquiſitio. Colluvies agyrtarũ, quemadmodum vultures ad cadavera, ſpe prędæ allecta, penitioris fomitis conſideratione ſuſq; deq; facta, cúm perfunctoria indagatione nihil explorati haberent, in admirationem re converſa, aciem mentis non ultra intendentes, ἀμεθόδως καὶ ἀλόγως ad temeraria & tumultuaria confugêre remedia. Prior ſi non ſucceſſit, aliam aggreſſi viam, calidis frigida, imbellibus & ignavioribus remediis pollentiora, etiamſi ab omni arte aliena, ſubſtituendo, etiam ad deleteria progreſſu facto, anſam porrexere peritioribus, totum morbum, ejuſq; curationem accuratiori calculo & examini ſubjiciendi. Tardius fortaſſis, eó quód prava non minus quám inveterata conſuetudo adeó invaluit, ut mala quæ in conſpectum veniunt, aut

oculis ſe produnt (ut omnes cutanei affectus) miſſum factis medicis, ſolis tonſoribus, & id genus impoſtoribus, hîc delegari ſoleant. Fortaſſis etiam medicorũ olim has operationes faſtidientium arrogantia huic divortio occaſionem dedit non exiguam. Tria iuxta urbis Brunnę pomœria publica inſtituta ſunt balnea: in quæ ſordium corporis extergendarũ, & cute ſcalpello conciſa, ſanguinis per cucurbitulas extrahendi gratia, certis diebus confluere noſtrates ſolent. Eorum quod extra Iudæis cognominem (aliis viridem, ab excelſo turris faſtigio eo colore imbuto) portam, nobilius, ſplendidius, etiam Baronibus & Equeſtris ordinis utriuſq; ſexus frequentatum, & ædificii nitore, ſervulorum muliercularumq; ſolertiore diligentia, cæteris palmam eripuit. Et quia fons, Nigro proximus (qui ſat lutulentus & ater) tanquam colamẽtum, aut incerniculo trãſmiſſam aquam limpidiorem excipit, eaque purificatione, lotionibus congruentiorem reddit. Extant ad Spilbergi radices aliæ, vbi puteus aquam plurimo ſale nitro, & lapide calchario imbutam ſuppeditat: eoque vi exter-

extersoria, nitidiorem quidem redderet cutem: opinio tamen vicit, ut illis potius voluptatem non utilitatem sectantes, loturi sese immergant & ibi delicientur. Illinc labis origo, hinc seminaria cõcepta, virus inde promanavit: haustum ibi venenum. Nam brumæ ipso die, quem solis in Capricorni sidus ingressu definiunt astrorum periti: vulgus Luciæ festo insignem facit: duabus inquam dierum hebdomadis, ante ferias nativitati Salvatoris consecratas, hyeme asperrima, Anno salutis reparatæ 1577. quicunque hypocaustum sive Laconicũ ingressi sunt, & cutim scalpello adacto, appositisq; cucurbitis perforarunt, omnes ilico correpti putantur. Neque citó noxam persensere: signa labis receptæ nõ statim emerserunt. Sunt quibus octiduum occultatum malum, aliis duabus septimanis, aliis mẽstruo temporis spacio, pro robore nimirum tam agentis (ut credere est) quàm renitentia passi, delituit: demum publicé se extulit. Interim insueta quadam ignavia seu torpore gravati: pigri, segnes, inertes ad consueta munia obeunda, animo quoque abjecto, tristes vultu, cúm nec

mens,neq; manus, & pedes, officium facerent, veluti umbræ non homines passim oberrantes conspiciebantur. Nativus faciei color in pallidum: vigor ipse oculorum in torvum, circulo fusco sicut mulieribus menstruatis deformem, subitó immutatus: frons exporrectior in caperatam & nubilam degeneraverat. Manifestis tum se prodidit indiciis. Vestigia cucurbitularum turgescentia extempló ardor invasit immensus & immedicabilis, quem fœdi abscessus & ulcera excepere putrida, sanie taboque fluitantia: circumcirca pustulæ, palmum quoq; latæ, achoribus floridæ, quibus dehiscentibus, acu aut medicamine discissis, profluxit pituita tenuis, serosa, marcida, sanieq; mucosa: aliis etiam acris & erodens: tum caro cucurbitæ ambitu circũsepta, corrosa, putrescens, tetrum ut e Telephiis ac phagedænicis ulceribus, invexit fœtorẽ. Vbi admiratione dignum initio, quód e tot affixis cucurbitis, cúm alii decem plus minus, tres quoque tantúm nonnulli apponi jussissent, una duntaxat aut ad summum duæ (socrui Laurentii sartoris, e quindecim, tres) ex iis omnibus in fœdã transive-

transſiverint vomicã. Nonnullis univerſum corpus puſtulis conſperſum, facies informis, triſte ſupercilium, horrendus vultus, dorſum, pectus, abdomen, pedes, loci, a ſummo ad imum porriginoſa ſcabie, cruſtaceis ulcerib. ſupra cutem paullum elevatis, duûm cruciatorum nummûm vel unguis pollicis amplitudine, ambitu rubente, candida ſuperficie (ut Tineam quam barbari vocant) polluta, & deturpata, cernere erat. Manabant hæc quoque pingui liquore, mucore lento, qui non pus, ſed ſaniem referret luridam, οὐ τῷ πύῳ ἴκελον. Imó, ſcabie ſublata, & ſanata, maculæ atræ, diverſæ quám ab impetiginibus aut vitiliginibus, plumbei & fuſci coloris, remanſerunt. Progreſſu morbi, in capite calli cõcrevere, qui ſummo cum dolore & ejulatu rupti vel diſſecti, melleum quippiã, reſinoſum & tenax ceu ex coniferis arboribus laticẽ exſtillare videmus, lentum inquam & viſcidum, marceſcẽtis pituitæ argumentum, exudabant. Abſceſſus hi ſordidi, vereque cacoethes, poſtquam magna difficultate expurgati, & non minore, carne rurſum producta, coaluiſſent, novum pro-

rupit ſymptoma. Vniverſi corporis artus, brachia, ſcapulæ, cubitus, humeri, ſuræ, tibiæ, pedes imi, puncturis quibuſdã quaſi aculeis, intenſiſſimé vellebantur, ac ſi ſerris diſcinderentur, aut forcipibus ignitis laniarẽtur, (περιφραστικῶς ſic ægri ſenſum doloris exprimebant) potiſſimum ubi tibia maximé ex carnis lacertorum non fulta thoris a ſolo perioſtęo veſtitur. Membra pondere gravia, fulcra poſtulabant, ſuiſmet viribus nec ſuſtineri, neq; attolli potuerunt, imó & paralyſi quibuſdam minata ſuccollatorũ beneficio erigi neceſſe habebant. Nulla tum quies, perpetua vociferatio, lacrymæ, gemitus, indeſinenter torquentibus doloribus, nocte potiſſimum, cúm feſſa membra ſopore dulci reficiuntur, illis noctes pervigiles, ob cruciatuum vehementiam: aurora adventante inanis quædam tranquillitatis umbra affulſit, póſt, adeó recrudu-ere tormenta, ut diem accuſarent infeſtã & inimicam, noctis veró imaginem & recordationem exhorreſcerent. Noctes irrequietæ, non unius, aut paucorum dierum fuerunt, verúm etiam menſem integrum, fruſtra tentatis remediis, compleverunt,

verunt, ut magna mentem ſubeat admiratio, qua ratione, unico hoc ſymptomate, viribus fracti, lethum evadere potuerint. Caput quoque non fuit immune. Nã præter achoras ſuprá recitatas, gummata, & callos, verrucis grandibus ſimiles, doloribus vehementibus infeſtabatur, circa regionem occipitii potiſſimũ, qui præter virium imbecillitatẽ, vigilias, etiam dementiam quibuſdam invexerunt, quæ vix, muco purulento, maleque olente, per nares multos dies ſtillãte, miteſcere cœpit. Toto interim morbi decurſu ἀπόσιτοι πάντων γευμάτων διέτελον, nec Cereris neque Bacchi muneribus voluptatem ullam capiebant: non condimenta, gulæ illecebræ, nulla ars, vel blanditię culinariæ epularum illis deſiderium invehere potuerunt. Converſatione omnem averſabantur, contuitum hominum ſolitariam vitam captantes fugiebant, verecundiáne ſuffuſi, aut indignatione commoti, quód horrenda labe, nullo ſuo merito, & ſpe auxilii exigua, aſperſos ſeſe cernerent. Magno tamen hoc illis conſtitit. Nam neque morbi ea erat natura, ut in apricum illico ſe proderet, ſed inti-

mis hęrens medullis ſenſim pabulum cō-
ſequutus radices agebat, vireſq; depaſce-
batur: illi veró rerum omniū ignari, con-
ſilii inopes, celabant tantiſper, donec ſo-
cios pœnarū plurimos conſpicati, in me-
dium affectibus ſuis propoſitis, mutuis
collatis operis, communes deliberatio-
nes inſtituerent. Tunc per fora, vicos,
compita, & tabernas, de ſuo malo quiſq;
quiritari, & per συνδρομὴν, ſive συναθροισμὸν ſi-
gnorum, affectus ſimilitudine deprehen-
ſa, uno ore pariter affirmare, ex hiſce bal
neis virus ſe contraxiſſe, cúm nullum la-
borantem offendiſſent, qui nō iiſdem la-
vacris deliciatus cucurbitas admoveri
feciſſet, iiſdemque ad unguem affectibus
excarnificatus fuiſſet. Hoc non niſi mor-
bo jam plané confirmato & rudi quoque
plebeculæ manifeſtiore reddito. Cúm
hæc plebis coitio facta eſſet, pars impetu
in Adamum balnei præſidem facto, juri
ut ſe ſiſtat, popoſcit: pars curiam adit, Se-
natum deprecatur, ut de crimine inqui-
rat, veneficii cēſuram agat. Horrendum
morteq; piandum ſcelus, in civium per-
niciē conjuraſſe balneatores. Tumultu
pauliſper ſedato, accerſitur Adamus, cū

eo

eo graviter pro enormitate facinoris expostulat Senatus, minis interjectis, planũ sibi fieri vult, undénam hæc labes? cujus culpa? quid cõtagii? causam deniq; sciscitaturus illuviei insolitæ, nihil præter lacrymas, mixtis precibus, & excusationes extorquet. Sibi nihil constare, se nullius criminis aut conspirationis sibi consciũ: multos annos honesté vitã hac urbe duxisse: famam integram custodivisse, balneo præfuisse, & cuicunq; pro virili parte inserviisse. Palám quidem contagium & manifestum se non inficiari: verúm originis & causæ se prorsus ignarum, & cúm exortum sit summo famæ & rei familiaris suæ dispendio, ipsi examinent, quantæ foret dementiæ, suam & liberorum salutem & fortunas omnes in tantũ discrimen sua sponte præcipitare. Ne nimium Senatus prudentissimus indulgeat suspicionibus, plagam divinitus potuisse immitti, cúm nulla ope humana mãsuescat: aut incantatorum maleficio profectam: vel malevolorum, maleq; feriatorum hominum invidia, clanculum in suam perniciem dolos substructos, & machinatos illos esse. Daturum se omnem operam,

ut inſons declaretur, cauſas quanta poterit diligentia perſcrutaturum: ipſis veró pro ſua prudentia, ſi quæ emēdanda cenſuerint, vel ad penitiorem inquiſitionem neceſſaria, ne ſe celatum velint, ſe viciſſim nihil detrectaturum, etſi mille mortes ipſi forent ſubeundæ. Demum diris caput devoveri petit, ſi vel minimā huic contagio occaſionem dederit, taceam ſi autor ipſe deprehenſus fuerit. Tunc ita fuit dimiſſus. Tumultuatum deinde in miniſtrum, cui ob dexteritatem, manus inquam agilitatem & promtitudinē, delegata erat ſcarificationis provincia. Vulnera is inflixerat, e quibus, ceu fonte, loco omnibus conſpicuo dimanabant reliqua ſymptomata. Hero mandatum, ut hunc examini ſubjiciat. Adoleſcens duriuſculis impetitus verbis, cúm in ſe fabā cudi nō falſa conjectura proſpiceret, carceres & tormenta quæ facinoroſis adhibentur, veritus (id minitabantur Senatus cum Præfecto) in pedes ſe conjicit. Fuga ſuſpicionem auxit, & in hominū mente opinionem de auctore conceptam confirmavit, a hero in miniſtrum tranſtulit: cúm is, non tam quód cauſæ minus fideret,

ret, quám terriculamentis & pœnis obſtupefactus, fuga maturé ſibi conſuleret. Serió injungitur Præfecto, ut adoleſcētem ſiſtat. Hic Vratiſlaviam, Norimbergam, Viennam, ſuis commilitonib. & balneatorum collegio, ut e fuga ipſum retrahāt comprehenſum, vinctum compedibus huc tranſmittant, perſcribit. Verúm ille hactenus nuſquam comparuit. Deinceps, magicis incantationibus ſcalpella & phlebotomos infectos, toxicove illitos, clamitatum. Vt hæc quoque aboleretur ſuſpicio, balneator ferramenta omnia exuſſit: medicas cucurbitas æreas, quotquot habuit, confregit igniq; tradidit. Vltra progreſſus, τοίχȣς διαπύρȣς, teſtudinem inquam thermarum, cui candentes ſilices inſternuntur, ut aqua aſperſi vaporem ad ſudorem conciliandum edant (Laconicum uno verbo dixere veteres) uná cum calefactoria fornace, a fundamentis diruit, & novos ignitos parietes exſtruxit, ſi forté vapor infectus illinc emergens, anſam teterrimo morbo præbuiſſet. Neque ita conquietum. Inſtrumentis igne crematis, toto hypocauſto innovato, veneficii ſi quid in aquis latu-

iſſet, puteum ter funditus exhauriri ex-
purgarique fecit. Ne tum quidem vene-
ni ſpecimen, viſui ſeſe obtulit. Invaluit
poſtea rumor, præfectum ipſum lue Ve-
nerea fuiſſe non minus quám miniſtros
ſuos infectum. De eo cúm nihil certi
potuiſſet affirmari, eó devẽtum, ut eſſent
qui aſſeverarent diebus intercalaribus,
quibus publica non habebantur balnea,
herum lue Gallica infeſtatos, calefacto
eo hypocauſto, ſolitum hydrargyro inun
gere, & ea ratione huic contagio occa-
ſionem dediſſe. Iuramento ille ſe pur-
gavit apud me, nihil unquam ſibi fuiſſe
commercii cum Gallicis, artem ungendi
vel curandi ſibi eſſe incognitam, nunquã
ea ſe uſum, neque id genus medicaminis
unquam pertractaſſe, obteſtatus eſt. Im-
puné hoc illi fuit, cúm adiiceret, neminẽ
e ſua familia, qui lauturis aſſidué ſubmi-
niſtrarunt, ſcabie hac deturpatũ, aut do-
loribus excruciatum fuiſſe: quód ægré
evaſiſſent, ſi a balneo contages cœpiſſet.
Morb⁹ nihilo mitius ægros torquere, ne-
quicquam remittere, uſque ad Æquino-
ctium Vernum, Solis in Arietis ſignum
ingreſſu, circa quod tempus manifeſté
deſiiſſe,

desiisse, & Paschatis feriis prorsus interiisse judicatus est, eó quód deinceps nullus hac labe ex integro aspersus, deprehensus fuerit. Vel quia iis balneis solitudo ingens, quovis ingressum reformidãte, ad alias migrationem instituerant: paucis rusticis exceptis, qui hęc vel ignorabant, aut ut nugacia spernebant & deridebant: vel quia Prętoris vrbani edicto Senatus autoritate interdictum fuit Adamo exercitium illud: vel, ut omnem prorsus a se amoveret suspicionem, quæstu pereunte, sua spõte thermas clausit. Gnaviter interim, irrito licet conatu, ægris operam locabat: ulceribus medebatur, apposito Emplastro, quod Griseum vocãt, e lapide Calaminari, lithargyro, cerusa, Tuthia, Terebinthina, cera alba, sævo cervino, thure, mastiche, myrrha, & camphora confecta: in orbem frigidis ad fervorem extinguendum circumjectis. Scabiei demum hieroglyphicum illud mysterium quod *Topffwasser* (Lac virgineũ aut simile quid judico) vocant, eique vim exiccandi & escharas demoliendi efficacissimam tribuunt, illevit: nihil pensi faciens, de humorum corruptela intrinse-

cus coercenda, ideó fruſtratus eventu, aliis in locū accitis, repudiatus eſt. Curſitatum jam ſollicité: novus cúm eſſet morbus, novas poſtulabant antidotos: cúm nihil uſitatum & conſuetum, exotica & peregrina remedia, minimeque familiaria, ſibi profutura autumabant: artifices diſquirebant, qui nil niſi ſplēdidum pollicerentur & fumos venditarent.

Pollutorum primus habitus Wenceſlaus Rauſch inſtitor non parvi nominis, ex adverſo Curiæ Senatoriæ, ſupra quadraginta natus annos, brevi ſtatura, corpore εὐσάρκῳ, facie rubēte, habitu quadrato, calidi humidique temperamenti, ſanguine exuperante. Hic balneum ingreſſus, quinque cucurbitas affigi iuſſit: unam ſumma cervice, ad finem capitis & occipitii: duas alias ad lumbos, utrinque, circa renum regionem: tum utrique genui ſingulas adhibuit. Illæſis cæteris, ſola cervicis & ſiniſtri lumbi, in tumorem deſcivêre. Poſtridie, ſtatim ſuperior ſudaminibus, quas ὑδατίδες dicimus, conſperſa, tactus indicio & domeſticorum relatu fuit. Dolor non levis. Proinde, unde origo mali, illinc medela petita. Facilé

cilé initio, nondum actis radicibus, consolidari potuit vulnus. Negociationis gratia Hradisthum profectus, illinc redux, non integré liberatus, in balneum redit, decimo quarto póst die. Adolescentem monet, ut priore illæsa subtus illam loco vicinissimo, at decliviore, aliam παροχετεύσεως gratia affigat: Ille veró locum non ita cavit, quin e priore vestigio, huic secundæ aliquid adderet: eamque avulsurus nonnihil corticis decerperet, non exiguo dolore creato. Tunc primúm æstu fervoreq; Tartareo exulcerari cœpit, caro cucurbita comprehensa, quæ suis finibus minimé contenta, serpigine quadam, guttur, fauces, cervicem, collũ denique universum in tumorem extulit. Secuta póst ulcera sinuosa, cavernosa, ut semidigitum foramini insereres. Matthias accersitus tonsor, frigida adhibuit, Vnguentum album, Oleum rosaceum. Nihil octiduo auxilii contulit. Temperandi fervoris gratia, summopere adjutus stillatitio liquore Hyoscyami Peregrini floris lutei (quem Tabaccam fœminã vocant) sibi a fratribus contubernii Societatis Jesu transmisso, cui linteolis im-

mersis, post ulcera fovebat frigidé, iisque collum integrum amiciendo, ęstum profligabat. Locus cucurbitæ inferioris circa lumbos quoq; putruit, non tam amplo circuitu, minore ambitu contenta putredo, minus contumax, remediis cessit, puncturis tamē penitioribus, longé póst, assiduam creavit molestiā potius, quám dolorem alicujus momenti. Consultus Catabaptistarum Æsculapius Iohannes Tenglerus, solis topicis intentus, emplastris exiccantibus, consolidavit vulnera. Quibus ad cicatricem perductis, nova symptomatum incubuit cohors: tergore toto, quatriduo póst, ingenti dolore perculsus est. Certis & quidem exiguis finibus antea quod conclusum fuerat virus, in totam spinam propagatum, totā dorsi occupavit amplitudinem. Hinc artus, brachia, femur petiit, a summa scapula & coxa, ad imas manus & pedes, nervos cōpressit, ut gressum & comprehendendi potestatem auferret: non levibus doloribus comitibus, qui atrociores noctu erant, diurno tempore quietis usura aliqua recreabatur. Molestia hæc octiduū duravit. Cúm in exercitio aliquid spei po-

neret, aut potius lucri aviditate pelleƈ⁹, 14. diebus ante Paſchales ferias Kioviã ad mercatum ſe accinxit. Illic exacerbata omnia, nulla pedibus requies, dolor minimé fixus, vagus, modó genua, mox ſuras, demum plantam pedis, tarſum infeſtans, nunc hoc membrum deſerens, alió ſe convertit, illinc mox recurrit, & ſic indefatigabiliter ægrũ divexavit. Divum hominumque auxilia implorantur. Laterculo excocto novo, candenti, vinum affudit, pedes vapore fovit: cúm incaluiſſent vehementer, oleo Juniperino inunxit, ut univerſum crus rubore ſummo pfunderetur: (φοινίγμυς vel Sinapiſmos diceres) ſæpius iteravit. Irritum hoc: ita quindecim dies hujuſmodi doloribus cõflictatus Hunnobrodã attigit. Illic quorundam medicaſtrorum conſilio, corollas ſive ſpiras, quibus bulbi alliorum con nectuntur (caudam inquam quæ ſupra caput ſeu nucleum cũ capillamentis terra eminet) ut ſuſpenſi laquearibus exiccentur, aqua decoxit, vaporem udum pedibus excepit: tum etiam totũ corpus proluit. Aquis cúm mergebatur, dolor mitigatus eſt, ſęvior, labro poſtquam exiliit,

longé recurrit. Hinc Hlukium, ubi Catabaptiſtæ tarſo & ſupra malleolos, ad ſuræ latera utrinq; ad genua cucurbitas cum multa flamma adhibuerunt. Deinde unguinibus ſuis delibutum reddiderunt. Fruſtra tẽtata omnia, tres horas viſus doloris expers, poſtea priſtina recruduêre accidentia. Weſſeliis raphani radices, pila tuſas, ſaleque copioſo reſperſas, crurum tenus calidé circumligari juſſit. Herbam *Gichtkraut* (ex ægri narratione bryoniam autumo) axungia ſuilla veteri contudit, & circumjecit. Nihil contulit. Domum reverſus, carnificis operam experiri placuit, a quo medulla cruris equi & humani perunctus, nihilo pernicior ad curſum factus, exiguum percepit emolumenti. Tenglerus cúm fotibus varia herbarum farragine conſarcinatis καὶ καταντλήμασι nihil proficeret, ad Veſicatoria converſus, cantharides utrique pedi appóſuit, medio loco inter genua & malleolos, ad tibiæ latera utrinq;, & quatuor locis cutem exulceravit: quam licet ſeroſi humoris copioſa excretio ſit ſubſecuta, parum tamen abfuit, quin phlegmone oboriretur, cujus præter intolerabilem dolo-

dolorem, ſummus rubor index erat, qui tamen quinta die remittens, ulcera quoque clauſit, rubedine in pullū colorem, adhuc atris veſtigiis ſuperſtitem, commutata. Ita ſolenni huic remedio, adhibentis inſcitia & importuno uſu, etiam fides abrogata eſt. Proinde, ut in re dubia & ancipiti animus nullo veritatis fultus præſidio, incertis fluctuat erroribus, facilique opinionis vento huc illuc impellitur, ita Tenglerus κράμβῃ priore recocta, ad πυελάματα reverſus, nova ἐγκαθίσματα variis radicibus & herbis congeſtis, inſtituit, Hippocratici oraculi immemor: Nō eſſe rationali Medico, priore indicatione perſeverante, contrariam curationem inſtituēdam, etiamſi voti compos factus non fuerit. Ignarus etiam canonis, quo jubemur localibus remediis niſi anteceſſerint univerſales evacuationes, parum fidei adhibere. Eapropter peſſimé hæc ceſſerunt: quia forté aſtringentibus & repellentibus conſtabant. Nam ad ſuperiora raptum petentes materiæ repulſæ, cor coarctare, ſuffocationis periculum, etiam ſyncope jam pro foribus exiſtente, minari incipiebant. Exploſum & hoc

remedium, cui ſuffectum balneum ex gleba, ſeu glomere nidi formicarũ, aqua decocta, & ſilici candenti affuſa, ſoloque vapore prius excepto, poſtea pede immerſo, & formicis uſtulatis vel elixis circumligatis. Bibit decoctum radicis Pimpinellæ ſaxifragæ e rubro vino per aliquot dies. Attamen omnia in pejus ruêre. Poſtliminio conſilium & auxilium petiturus me cõvenit. Et quia multos prius queſtos, plurima fruſtra tentata medicamina hinc inde audiveram, de contagio & mali cõtumacia cogitare cœpi: & quia circa cutem malum verſabatur, viciniſſima, congrua & competenti via educendas materias ratus, exhibito ἐκκοπρωτικῷ ſtercorario medicamento Mithridatum dedi, exploraturus ut ſe ad ſudorifera eſſet habiturus. Perægré ſudori vacabat, tamen lætus ſucceſſu & hilaris, perrexit: tũ Mithridato permixtum ſuccum Scordii, Veronicæ, Scabioſæ, cum decocto Scordii dilutum bibit. Biduum juſſeram, octiduum continuavit. Sudavit quidem modicum, debilitatis ſimulato prætextu, neque ſupra tres horas unquam lecto ſe cõtinuit. Perbellé habuit: inter ſudandũ,
pruri-

pruritus ingens pedes exercuit, falsi humoris exeuntis argumentum. Convaluisse sibi visus, itineri se cōmisit, fora, nundinas & mercatus frequentavit, aliquot hebdomadas incolumis, hinc inde vagatus, vixit. Donec nihil tale opinantē, capitis dolor gravis, & obtusus, sensus hebetes, anxietas, animus languens, sui ipsius odium vel tædium, corriperent: Caput, pectus, facies, pustulis efflоruere minutulis, rubris maculis, & ἐξανθήμασι corpus universum conspersum, stigmata, & pulicum morsus referebant. Occupatus tum fui sesquimensem arce quadam, curatione Baronis primarii. Id temporis Æsculapius ille accurrens, reliquias errorum per adolescētiam commissorum redivivas accusans, pœnas modó luere oportere vociferatus, πάσχηστον Antidotum Turbith illud Minerale ab ipsis toties decantatum, nulla præmissa humorum pręparatione aut sanguinis detractione, exhibuit: in eo quoque vitio non caruit, quód eadem dosi, cuicunque sexui & ætati porrexerit, tam viris quám fœminis, & virginibus tenellis, nulla victus ratione præscripta, habenas omnes diætæ la-

xavit. Vel quia noverat, faucibus & lingua in tantum tumorem elevatis, buccis inflatis & pituita turgeſcentibus, non facilé quævis obvia ingeri poſſe: vel quia ipſorum axiomati congruit, nõ diæta, ſed *vi ſui remedii* morbos profligari. Quod de morbo Indico illorum anteſignanus profiteri palám (vinum optimum, cibos inprimis conditos & bene ſalitos offerẽdo) veritus non eſt. Præcipitato eo pulvere, (veré Turbante, cúm nullam universi corporis venulam intactam ęgri judicio præterierit) in pillularum formam redacto, quadrante horæ ante cœnam quinq; ciceris minoris magnitudine exhibuit, quæ paulló póſt tantum vomitum concitarunt, ut ad noctis medium continuis vomitionibus pené fuerit enectus. Materias alimentarias, poſt pituitoſas demum ſanguinis plurimum evomuit. Poſtridie hora ſexta matutina, una minus deglutivit: vomitus repetiti, licet & per alvum ſubducerentur materiæ ſimiles. Antequam cubitum ſe conferret totidem: ſemper vomuit. Ventriculum denique tanta nauſea invaſit, ut quotieſcunque medicus pillulas oſtenderet, ſolo earum con-

conſpectu ad vomitum irritaretur. Neque jam opus erat exhibitione, cúm ſolo intuitu voti compos fieret. Quapropter triduo ſequenti, una duntaxat contentus fuit quotidie. Continuæ autem fuere vomitiones & alvi liquamenta. Quinq; diebus ſequentibus, atram potionem, mané & hora ſomni, bis die propoſuit. Toto curationis tempore, quæ ad duas protogata eſt dierum hebdomades, ſemel tãtúm ſudavit, neque vaporario calido ſe continere juſſus eſt. Incendio magno correptus, fauces, lingua turgentia, dolorem vehementem palati, & gingivarum excoriationem invexerunt, ita ut præ mole linguæ os claudere non poſſet: ſalivatio multa, cibi deglutitio penitus ſublata. Octiduum totum cibo caruit. Continuis oris collutionibus uſus: nona, cibi nonnihil cœpit aſſumere: tũ, ut refert, & nephrides moleſtę fuere: Pondus ingens circa renum regionẽ ſenſit: Excreta per alvum acria, mordacia, ac ſi ferro inteſtinũ diſcinderetur: murmura & rugitus in inteſtinis: dolor oberrans toto abdomine. Cũ exoneratum alvum ſeceſſiſſet, uno impetu, quid lapidis inſtar (hydrargyrum

conglomeratum fuiſſe non dubito) ponderoſum prolapſum eſt. Neque tantum fuit illis cerebri, ut fecibus perſcrutatis de materia egeſta inquirerent. Excuſſo tanto onere, morbo ſublevatus, & unico quidem momento, deinceps ad conſueta rediit. Reliquias tamen adhuc, manibus & pedibus algore perfrigeratis, priſtinorum dolorum, & nervorum exſiccationem, quaſi corrugationem & diſtenſionem animadvertere ſeſe refert. & hæc quidem ad 15. Julii diem.

Adami Bernaveri Seplaſiarii ſolertiſſimi conjunx Anna, calido & ſicco temperamento, excarnis, raro corporis habitu, fuſco colore, trigeſimum ſextũ annum egreſſa, octiduo ante Lupercalia, ſeu dies Baccho dicatos, balneum adiit, ſeptem cucurbitas adhiberi fecit, quæ ὠμοπλάτην utramque, cervicem, dorſum & genua occupaverunt. Solus dextræ ſcapulæ locus exulceratus. Pruritum lēvem, tædium, moleſtiã potius quám dolorem totos viginti dies pertulit. Puſtula medio veſtigio eminebat, piſi aut orobi magnitudine: denuó in balneas conceſſit: totidem affixit: ſubtus hanc viciniſſimo lo-

mo loco aliam ſubjecit. Serpere malum dilatariq; cœpit, ut palmum latitudo exæquaret: color ruber, ſaturus: continuæ ulceris penitiore receſſu vellicationes: ardor ingens. Mariti uſa conſilio bis Triapharmacon emplaſtrum applicavit: nulliſque aliis præſidiis adhibitis, coaluit cicatrice obductum ulcus. Paraſceves quę ſolennem Reſurrectionis Domini feſtivitatem præcedit, die, manuum torporē, veluti ſtuporem, gravitatem & ἀναισθησίαν initio animadvertit. Muſculus δελτοειδὴς cum ἀκρωμίῳ occupatus, manuum elevationi obſtabat: pendulas vidi jam manus, ac ſi paralyſi correptæ ac prorſus reſolutæ fuiſſent. Emporium Linzianum, ut varia ſupellectili aromataria tabernam locupletaret, Medicamentarius adierat: illinc reverſus palám vidit, ad manus radicem, carpi inquam concava, nervos tremere & contrahi, ac ſi per ſpaſmum manus extrema in digitos deſinens, curvata introrſum, verſus cubiti & radii oſſium compagem pertraheretur. Dolores urgebāt vehementiſſimi: ſomni veró prorſus exularant. Maculæ rubræ ſatis amplę, in facie quinque: in manu dextra a carpo

ad cubitum, tres vel quatuor minores ap paruerunt. Scabies nulla.

Tyrocinia artis cúm Dreſdæ Miſnio-rũ myropola ageret, meminerat celebres Medicos, operoſam quavis Panacęa certiorẽ, cutaneis affectib. profligãdis inſtituiſſe Antidotũ, quã ut conjugi benemerenti opitularetur, confecit. Materia & compoſitionis ratio hæc eſt. ℞ ligni Indici ℔.v. Radicis Lapathi acuti ℥ iij. Myrobal. Chebul. Citrin. Indor. Emblicor. ana ʒ ij. Gran. Juniperi, Rad. Enulæ campanæ ana ℥ v. Hermodactyli, baccarum Lauri ana ʒ xv. Santalarum omnium ana ʒ j. Ariſtolochiæ longæ ʒ ij. Foliorum Senæ mundorum ℥ xv. Infundatur primó lignum per ſe in ℔.v. aquæ ferventis per 12. horas, poſtea coquantur blando igne, addendo cætera, recto artis ordine, ad medietatem. Stent donec refrixerint, colaturæ fervidæ & forti expreſſioni iterum injice Rhabarb. electi, Turbith optimi añ. ℈ ij. g̃. v. Ell. Diacatholiconis, Cõf. Hamech ana ʒ ij. Diſſol. in aquis Scabioſæ, Lupuli, Fumarię ana ℥ iij. Syrup. fumariæ ℥ xv. de epithymo ℥ v. Bulliant leviter ſemel atq; iterum aromatiſando cum

ſp.aro-

ſp. aromatici roſati ℨ j. Cinamomi optimi ℨ ij. Miſce, fiat lege artis potio. A ſecundo hauſtu quaſi exonerata cœpit agilius brachia movere: tertio die elicuit ſudorem, ſuccis Scordii, cardui, Mithridato permixtis. Probé ſucceſſit. Bis reiteravit Antidotum, ſexta ſudorificum: extra omnem teli jactum poſita integreq; convaluiſſe videbatur. Dum calidis ſeſe foveret, ſudori proliciendo occuparetur, perbellé ſe habuit. At quamprimum in publicum prodiit, tempeſtate uda, Auſtris flantibus, glacie nivibuſq; diffugiẽtibus, verna aeris inæqualitate, humoribus nimirum commotis, priſtina rediviva fuere ſymptomata, & quidem nocturno tempore, volutationes in ſtratis continuæ, locus quietis nuſquam repertus. Guajaci lignum hîc infame habetur: & lue polluti Venerea, convictum eorum quovis refugiente, publica notantur infamia: (haud aliter ac lepra infecti in populo Hebræo extorres reddebantur) ita ubicunque ligni mentio fit, actum feré de ægri exiſtimatione, & bona fama videtur. In honeſta, & integerrimæ famæ matrona huc confugere,

prima fronte, religio fuit: ceu ſacram anchoram, ad extremum, cæteris fruſtra tentatis, in abdito aſſervandam cenſui. Horrida immaniq; ſcabie laborantibus aliis vicinas ſuaſeram thermas, non quód profuturas judicarem: ſed dubius animi, hac ægrorum inſolentia, & in victu, contumaci negligentia, ne regulis quas in Ligni uſu præſcribimus & legibus ſe includi paterentur, (compedibus ſe vinciri vel pedicis conſtringi murmurant) conſultius viſum fuit, ut ſuo malo ſapere diſcerent, & certum præſidii genus poſtea ſpe fruſtrati avidius expeterent. Hæc etiam languens uná cum ſorore thermas adire decreverat, ego veró ad curas medicas avocatus diſceſſi. Paucis diebus interjectis Pharmacopœus ad me per literas: Conſuluiſti, inquit, conjugi ut thermis lavaretur: at ipſa exploratum habet, ut quotieſcunque labro aquæ dulcis ſe immerſerit, dum aquis tepentibus deliciatur, dolorum ſit expers: ubi pedem extulerit, ilico recurrere & infeſtiores fieri dolores. Suaſum ipſi, ut Guajaci biberet decoctum: quocirca meo ſe commiſſurum hoc arbitrio: ſe petere, ut diligenter expenſis

expensis & rationum mearum momentis examinatis, eam quamprimũ certiorem reddam, quid hac in parte fieri velim. Occasionem etiam de aliis bene merendi oblatam repudiare nolui: unicam hanc viam sanitatis recuperandę superstitem dixi: in vulgi deliri judiciorum perplexitate, famæ ipsius consultum me voluisse, veritus, ne lue nefanda correpta publicé diffamaretur. Rumore plebis spreto, e radicib. polypodii, cicoreæ, herbis, fumis terræ, cardui, turionibus lupulorum, asparagis recentibus, & id genus aliis, cum passulis & senæ foliis sero caprino coctis aliquot dies apozema propinatum. Communem dextri brachii secuit venam, pillulis purgata, decem & octo dies Ligni sancti bibit decoctum, canonibus consuetis observatis. Persuaderi ut prorogaret potionem, minimé potuit, vel quia desidem domi latitare non libuit, perpetuó debilitate culpata: vel quia nimium sibi blandiretur & viribus plus justo fideret, eó quód primo protinus biduo, acu pingere, texere, aliaque muliebria exercitia domi tractare inciperet: brachia sursum attolleret, manuum-

que officio alacriter, doloris expers, totō eo tempore perfungeretur. Ædibus inclusam fenestrarū prospectu arceri, summa erat molestiarum portio. In publicū egressa, aere denso, pluvio, nebuloso, pro anni tempore, tunc rerum potiente, & accuratiore victus ratione posthabita, (cúm neque vini usu penitus abstineret) decimaquarta die recurrerunt eadē symptomata longé quám anté vehemētiora. Turpetum illud execrandum experiri, & præcipiti discrimine vitam negociari, animamq; redimere placuit. Tenglerus quindecim pillulas exhibuit devorandas hoc ordine: quinas ante cœnam, sequēti die mané & vesperi, totidem. A prima sumtione vomuit multum, & quinquies alvo dejecit: a secūda iterum, & vomuit, & ter dejecit: post tertiam utraq; multiplicata virium ingentem edidere stragē. Sputum altera statim die apparuit, ilico lingua in tumorem conspicuum valde elevata, rictu diducto, fauces implevit: palati cœlum sive fornicata capacitas, non sufficiebat (horrendum visu) linguę intra sua septa continendæ quin extra labia promineret: occludere os aut labra con-

conjungere nullo modo potuit. Tertia plané obmutuit, ut a nemine loquens intelligeretur, ſoloque nutu, animi ſenſa proferret: imó ſpiritus viis compreſſis, ſtrangulationis periculum in procinctu erat, oborta etiam magna raucèdine, gutture & faucibus nimirum excoriatis. Gargariſmata illis familiaria præſcripta ex aqua ardente, quam vinum quoque ſublimatum dicunt, cui Zuccarum Candum & mellis nonnihil immiſcent, cúm interea Æſculapius ille (ſi Dis placet) oblatis pillulis, per emiſſarios rem gereret, neque ad ægros poſtea unquam reverteretur. Indigné hoc tulit myropola medicis rationalibus familiariſſimé converſatus, e roſis, plantagine, mali corio, & ſimilibus, aqua prunellæ incoctis, ſyrupoque Myrtino & de roſis ſiccis admiſtis, collutionem oris inſtituit. A cujus uſu lingua confeſtim ſubſidere cœpit, & intra ἕρκος τῶν ὀδόντων ſuos inquam carceres ſeſe recepit, perpetua tamen ſalivatione ad decimumquartum, imó etiam vigeſimum diem excruciata, quo die, illi egrediendi facta poteſtate, ul-

tró unam adhuc adjecit hebdomadem. Intra quod tempus omnia pessum ivere symptomata, & turpis macula quæ dorsum fœdaverat, licet contumacissima, tota est abolita. Num reliquiæ medicamenti, renes & intestina turbantis, aut diætæ vitium, certé tribus póst septimanis crudelissimos dolores colicos & nephriticos illi invexerunt, ut levidensia priora quæ tulerat, si hisce compararentur doloribus, asserere non vereretur. Domi cúm essem, his malis subventum pauculis diebus. Nunc incolumis vivit crebro usu extracti angelicæ, nisi quód corp⁹ probé munitũ esse oporteat, ut ne flatũ quidẽ frigidiorẽ admittat, cuj⁹ merito etiam podagricis tentata fuit tormẽtis. Hujus soror, ætate major, Scheittermanni primarii Pandochæi uxor, carnosa, frigidioris & humidi temperamenti, una & eadem hora balneũ petiit: totidem cucurbitas affixit. E septem, sola, quæ sub dextra scapula erat, vulnerata in ulcus degeneravit. Ardor vehemens. Caro exesa, foveam, cui articulum primum indicis digiti inseruisses (nudam carne costam dixisses) detexit, latitudo

ut

ut quadrans taleri numiſmatis. Emplaſtra balneator diu adhibuit. At movendo cúm parum promoveret, quidam noſtras illius affinis emplaſtrum nigrum, arcanum nemini revelandum (e cerusſa, maſtiche, in oleo lini ad nigredinẽ uſtulatis forté conflatum) ſæpius reiteravit: Fruſtra. Vlcus obduxit cortex durus, ſcabricie aridus, craſſitie digiti cutem ſupereminens, qui pruritu intolerabili excitato, cúm unguibus diſcerptus eſſet, ſubtus novo germine repullulavit iterũ. Ab aromatario emplaſtrum de Meliloto illitum, quod eſcharam quidem ſuſtulit, ea tamẽ paucis interjectis diebus, denuo & fœdior ſuccrevit. Hic veró minimé prætereundum, dolores etiam anté ulcus occluſum hanc infeſtaſſe, quod pleriſq; non niſi vulnere conſolidato evenit. Vidi eam a poplite, per ſuram univerſam, (ventrem carnis tibiæ objectum) calcaneum, talos, tibiæ apicem, ſolo perioſteo membrana quaſi tectum, dolores crudeliſſimos perpeti, ut ejulatus & clamores ferinos, ſi ſtragulis paulló pedem promeret, ederet. Adeó tamen fuit pervicax & præfractæ contumaciæ, ut nullum pror-

ſus ore admitteret remedium : ægré ipſi perſuaſi, ut ſerum caprinum cum Zuccaro, vulgaris potus loco, ad biduum biberet. Præter dolores, qui jam corpus univerſum obſederant, totum præ puſtulis corpus tuber erat, ut nec ſtare, ſedere, neque ambulare jam poſſet: lintea pure fœtido ulceribus manantibus imbuta, corpori mordicus adhæreſcentia, ſi avellerentur, cortices quidem uná detrahebant, ſed vulnera & dolores multiplicabant. Pertinacem illius animum tam horrida mala neque flectere neque frangere potuerunt, Turpetum dimidiati, ob infirmitatem (ut agyrtæ referunt) doſi accepit: quocirca nihil emolumenti conſequuta, adhuc ἔλκεσι βλυῶν, cadaveri quám homini ſimilior jacet, ſuæque inobedientiæ meritas exolvit pœnas, cúm unctionibus & ſuffumigationibus Mercureis mallet rem pertentare, quám intra corpus ullum admittere medicamentum.

Paullus Burſarius ex eadem cauſa ſinuoſis & cavernoſis ulceribus dextram tibiam fœdatam habuit, circa malleolos potiſſimum: eapropter curam temerariam

rariam aggreſſus eſt. Pillulis devoratis cauſo præhenſus, feneſtris præ immodico æſtu undique reſerari juſſis, caniculæ ardoribus urgentibus, ſanguinis copioſa per alvum excretione, quam θρόμβοι & atræ feces conſecutæ, fame quoque cúm ob linguæ tumorem nihil alimenti poſſet ingerere, enectus, intra paucos dies ejulatu & clamoribus toti viciniæ moleſtiſſimus, miſeré exſpiravit. Inopinatus iſte caſus multum artificis detraxit autoritati, & ſolenni pharmaco fidem derogavit, occaſionemque certiora remedia inquirendi ægris præbuit. Thomas Brenner inſtitor uterque cum conjuge correpti. Illa mercedem pacta, cúm denas tribus ex ordine diebus aſſumſiſſet pillulas, intendi & intumeſcere crura in vaſtam ſenſit molem. Vomitibus ꝑ more exagitata, vaſe teſtaceo excepit rejectamenta, cujus parietibus circumquaq; vidit hydrargyrũ crudum adhæſiſſe: ilico terrore ꝑculſa, & q̃a pejus ſe habere animadverteret, nunctiũ remiſit impoſtori, quẽ cernebat pro foribus, ne ſpiritũ olidũ admitteret, pugno nares & labia comprimentẽ, eminus inquirere, quinã valeret:

neque precibus adduci poſſe, ut cominus aut tãgeret, aut eam alloqueretur. Hunnobroda ad equorum mercatum huc ſe contulerunt Judæi duo. Eodem balneo inquinati, alter feriis Pentecoſtes extinctus: alter elephantia obductus miſeram traducit vitam. Dietrici Molii filia virgo, forma egregia, puella lectiſſima, jam nubilis, miſerandum in modum defor-mata, reſtituta quidem eſt Turpeto, veruntamen puſtulæ nuper frontem & palpebras denuo occuparunt: quibus illi adhibent liquorem luteum, mordacitatis expertẽ, (gummi fortaſſis Guajaci, quod illi a liquore & alkali ſeparant) qui eas abolere quidem viſus eſt, non tamen ſecuros in univerſum reliquit ægros, ita ut veré ſe & ex toto immunes aſſeverare auderent: imó latet ſemper aliquid virulentię, quod aliás repullulat: & recidivam perpetuó minatur. Forté avaricia medicaſtrorum, ut ſemper eſſet quod degluberent; vel malignitate, a deleterio medicamento nondum perdomita, novaq; ſemper moliente accidentia. Vt curioſis ingeniis rara, cara, quotidiana veró vileſcere obſervamus: ita repudiato Turbante phar-

pharmaco, Evancicium duobus hinc disſitum miliaribus ad balneatorem concurritur. Eó primus Cerdo, póſt Stendlianus, opulentiſſimi Senatoris, quadraginta quinque annos conjux, demum etiam Pandochæi uxor, profecti. Hic fabæ magnitudine electuario purgante exhibito, deinceps perpetuo Laconico eos incluſit, fumũ e Cinnabari ſubdidit, ita tamen ne ſuprá quám vellet aut ferre poſſet, urgeret quenquam. De quo amicus ad me. Noſter Chirurgus, ditiſſimi illius veſtratis uxorem non ungit ſed lavat, & dedit illi aſſumendum ſuave, ut ipſa narrat, eclegma, quod ei omnes dentes labefactavit. (ὑπερβολικῶς Cerdo inquiebat ſę ordine in menſam potuiſſe dentes loculamẽtis exemtos collocare) Hydrargyricum ergo: & pro pillulis electuarium, quod haud ſcio an novum ſit. Hæc ille. In eo tamen probandus eſt, quód diætæ leges non omnes antiquaverit, ſed hypocauſto incluſis aeri omni interdixerit, ſudores extorſerit, vino tamen conceſſo, cætera ſolertem ſe prębuit. Egenorum ſortis miſeratus & ipſe, ne ἀσύμβολος & ocioſus cladis miſerandæ ſpectator eſſem, vulgo

paratu facilia & ſine impendio remedia, domeſticis & indigenis conſtantia plantis, collegi: diæta modoq; utendi præſcriptis, paucarum horularum laborem, Senatui obtuli. Præfatus hic baſin curationis in ſudoribus promovendis conſtitutam: diſcriminis plenam per Mercurium curādi rationem: Pulverem ſenæ præparatæ D. Montagnanæ præmiſi: legibus phlebotomię cuſtoditis axillarem dextri brachii, bubonib. abſentibus, ſecari juſſi. Inſtitui potionem ex decoctis radicibus, enulæ, polypodii, angelicæ, lapathi maximi, diptami, Imperatoriæ: Herbis veró cardui benedicti, chamæpitidis, ſcordii, fumariæ, cicerbitæ, ſcabioſæ, veronicæ, lupuli ſalictarii, phyllitidis, ſcolopendrię veræ: Item floribus borraginis, lavendulæ, ſambuci, additis Sena, corticibus veratri, cum ligno ſancto, ejuſque cortice. Aliquot poſt aſſumtum decoctū diebus e maſſa pillularum cochiarum cum veratro præparatarum aggregativarū, & de hermodactylis catapotia imperavi. Poſtea e ſuccis ſcordii, cardui, fumariæ, meliſſæ Turcicæ, veronicæ, ſcabioſæ exiguo Mithridato permiſtis, ſudorificū vehemen-

hementius institui, ut decoctionis vim sudorificam ignaviorem forté, exstimularet: Pustulis & scabiei initió aqua stillatitia e resina larignea oleo Tartari cōdîta, etiam decoctū Guajacinum erant institu ta: quorū illitioni si non cessissent, subinde acriora & pollentiora, nō præterito etjam oleo atramenti sutorii aqua fragariæ vel scabiosæ diluto, succedere poterant. Numerus dierum pro affectus contumacia & ęgri tolerātia definitus erat, certoq; ordine cūcta rité disposita, ut medicamēta ex officina ætati & sexui cuicūq; (ut seplasię ministri a me edocti fuerāt) accōmoda, levi precio mercari etiā inopibus licuisset. In morbi ne decrementū culpā cōferas, aut ꝙ operā meā minus gratā haberent, dubiū. Nullus mehercule ad hoc præsidii genus cōfugit præter alutariū & plostrariū quendā: cōsilia nisi manus operatio accederet supervacanea & frustranea dicētiū. Quinimó tā alutarius quám redarius vehicularius fabricator, duri agrestesq; homines, sibi de perfecta curatione prius cautum voluerunt, ne artis manuariæ operis neglectis sanitati recuperandæ dum vacant, dubio eventu duplici multati dispendio inanes quoque

facerent ſumtus. Equidem alutarii genu dextrum, locus inquam cucurbitæ ulceribus cruſtaceis, ita callo contracto obduruerat, ut ęruginis, chalcãthi, neq; calcis vivæ applicatione ὑπερσάρκωσις reſecari vel abradi potuerit, quæ is ſummo quidẽ cruciatu conciliato, animo tamen feroci (cujus nam uſus conſilio incertum) ſæpenumero aſperſerat. Hac ratione, de meo benemerendi ſtudio aut medicaminum ſucceſſu haudquaquam mihi gloriari licuit.

Exempla hæc omnium languentium hiſtoriam complectentur. Operoſum enim neque operæprecium foret, ſigillatim omnes, aut nominibus duntaxat immutatis, accidentibus ſimilibus, eadem ſingulis ægris recenſere, cúm communia omnibus fuerint, neque quid diſcrepans hactenus obſervatum fuerit. Quocirca conſequens eſt, ut de origine & cauſis aliquid in medium proferamus, quæ ſi non cuivis ἀποδεικτικὰ videbuntur, cogitet in arduis rebus & voluiſſe abundé magnum olim habitum: munereque noſtro nos perfunctos arbitrabimur, ſi non rationi diſſona, aut vero minimé

nimé congrua protulerimus, loco relicto argutioribus, qui acumine ingenii penitissima pervasêre naturæ penetralia, & non tantúm verisimilia, verúm etiam causarum cum effectibus, vera conjunctione, mutuam colligantiam, quasi ob oculos ponere, omnemque ex animo dubitationem eximere poterunt. Ordo hic erit. Dissertatio habebitur: an novus sit morbus: si talis, in quam classem redigendus: causas putatas non esse effectrices, nec primarias, neque proximas: non partes balnei integrales sive constituentes: non silices ignitos: non vaporem fervidũ illinc elevatum: non σικύαν περισπωμένην, cucurbitam inquam attractricem: non spiculum cuti perfodiendæ destinatum: nõ unguen quo inflicta vulnera oblinuntur, non denique balneo præfectum: sed inquinamentum aliunde asportatum, levibus exordiis incrementa cepisse, & cõtagioni prorogandæ ansam præbuisse: ubi quædam de ortu & causis tam sublimibus quám proximis adjicientur. Extitisse novos, ævo priore incognitos morbos, præter veterum testimonia exemplis illustria, etiam recentiores ostendũt:

In certa veró terrarum parte, repenté gigni vitia insueta, illinc undique dissemi-nari, tam certum quám quod certissimũ est. Stomacacen, & Sceletyrben Germanici Cæsaris ad Rhenum castris apparuisse, vitium e fonte haustum, antitodum illi a Frisiis herbam Britannicam ostensam: veluti Mentagram Tiberii Claudii principatu in Italiam irrepsisse, Perusino Equite ex Asia contagionem importante: Carbonem, Elephãtiasin, Gemursam, certis temporibus apparuisse, jam obliteratas esse, auctor est Plinius. Colicam affectionẽ in Italia cœpisse, & per Imperii Romani regiones pestiferę luis modo grassatam, in comitialẽ & paralysin transiisse (quibus affectibus medicus Italus infideli & temeraria victus ratione instituta, præter opinionem remedium attulit) Paullus ab Ægina, secũdus a Galeno, medicorum antistes, testatum facit. Suffragium illi salva veritate ferre possum, qui octavum vel nonũ agens annum in Pannodacia nostra Gregorium Wizaknaii, primum ingenii formatorem, virum in primis eruditum, colico infestatum & extinctum cruciatu, meminerim. Novus

vus tum morbus, per urbẽ de novo morbo, nomine infausto, peregrino, nusquã audito, murmur ingẽs, haud aliter ac Romæ, cúm Tiberius edicto promulgato, valetudinem incognito Coli nomine excusaret. Vidimus eum artus resolutum, calcibus petere, morsu ad se accersitos comprehendere solitũ pueros, cúm aliás Orbilio magis plagosus, manuum auxilio (morbo etiam impatientior redditus) se destitutum, animo angeretur. Ex eo tempore, adeó invaluit, & familiaris fact⁹ est morbus, ut populares fide digni ad me retulerint, etiam recẽs in lucem editos infantes, ex utero hanc luem secum attulisse, & paucis interjectis diebus, artuum beneficio destitutos, omni motu privatos fuisse. Quod minimé miror, cúm Gulielmum de Lippa Perchtoldi Marsalci filium sexennem e colico paralyticum viderimus: unde beneficio naturæ & ætatis emersit.

Progressu ex illis regionibus facto, deinceps vicinam Pannoniam, Austriam, Moraviam, cum aliqua parte Germaniæ, ita oppressit malum, ut ingenué affirmare possim, apud nos, e denario ægrorum

numero vix duos reperiri qui colicis non conflictentur morbis, eorundemq; paucissimi paralysin evadant: & contumaci huic malo profligando, colluctandū nobis plus esse, quám omnibus reliquis, quę hominem infestare possunt, ægritudinibus. Ita ante annos plus minus triginta, peregrinus habitus, modó endimus factus est. In Italia certé jam dudū evanuit: (ut verum sit, morbos oriri, durare, & desinere certis locis) cui rei fidem facit vel hoc, quod neque per Gallias, vel Italiam, præceptores nostros, publicis lectionibus, colicæ in paralysin transeuntis mentionem habuisse, neque lucubrationes ipsorum literarum monumentis cōprehensas, illius meminisse sciamus. Imó si qui illinc, ut solent, medicinæ ad nos faciendæ gratia commearint, & ex improviso illis occurrerit curandus hic morbus, viri, aliás solidioris scientiæ & eruditionis, mirum quám turpiter, antequam ei consuescant, suam prodant inscitiam. Solus veterum, præter Paullum, Princeps Aboali, capite de Paralysi, docet, ceu per crisim, e colo, materias in nervos proturbari. Nisi hoc censu collocemus

Hipp.

Hipp. 6. Epid. Com. 4. Textu 3. ubi fluentium in articulos humorum in colum factam transmutationem asserit, eoque Arthriticum fuisse ἡσυχώτερον, ac si daretur e colo in articulos, & vice versa, materiæ transitus. Neotericorum Erastus exquisité colicam, quo pacto in paralysin degeneret, annotavit, cui posteritas vel eo nomine plurimum debebit.

Sudor Anglicus, violentissimo impetu ortus, κατακλυσμȣ instar, multas obruit regiones, rapidissimo cursu suam absolvens periodum, nominē solūm nobis notus, dudum disparuit. Luem Indicam novum fuisse morbum, indignatione & ira Dei, merita supplicia, pœnasque nostris peccatis irrogantis, ex America in nostrum orbem translatum, qui de eo volumina congesserunt, satis superque demonstrant. Dantur itaque novi morbi, & ex pravitate humani victus, senescente seculo, omnibus inextricabili fato in pejus ruentibus, verisimile est, novos nascituros, futuris seculis, plurimos, nobis ignotos morbos. Quod etiam Proclus e porticu Stoicorum asserere nō veretur, quemadmodum patrum, avorum,

noſtra quoque memoria, plurimas artes de novo emerſiſſe, inque lucem prodiiſſe meminimus, quarum ſcientia olim mortales latuit: plures ſupereſſe, nõ vana conjectura, ex præteritis futura ſi metiemur, augurare licebit, quæ aliquando in poſteritatis cognitionem ventura ſunt: Fati ſic volvitur ordo. Hic quem deſcribendum cœpimus, licet prima facie obiter ceu per tranſennam examinatis ſymptomatis novus non videatur: veruntamen impunitate a paulló anté recitatis autorib. ſumta, cur novum dicere non liceat? Equidem hîc inſuetus, nemini anté viſus, incognitus, origine, impetu, motus celeritate, periodi ſive decurſus exigua duratione, & quód nullo ætatis & ſexus diſcrimine habito, quemvis impetiverit, multis etiam peritioribus rerum naturæ perſcrutatoribus admirationem peperit.

Quapropter vel novus, vel inſolens his potiſſimum regionibus, ubi nihil ſimile conſpectum vel obſervatum fuit, dici jure potuit. Quid obſtat & Epidemium nuncupari, cúm πολλοῖς ἐν ἑνὶ γεγέννηται χωρίῳ, etjamſi abſque pernicie vitæ. At quia neminem ocyſſimé exanimavit, peſtilentis ſive

tis ſive τοῦ λοιμοῦ (διὰ τὸ μὴ πολλοὺς ἀναίρειν) cognomentum Galenici decreti ſentētia Textu ſecundo Comment. tertii, in 3. Epid. Hipp. illi minimé competit. Certé animos ægrorum occupavit ſuſpicio, non niſi divinitus irrogatam labem, cúm abſque manifeſta cauſa, agmina pollutorū, immani ſcabie, & fœditate, cui mors eſſet præferenda, novo exemplo intuerentur. Ad quam igitur tribum, ſi novus, referendus? Certā ſedem olim, ſi emerſiſſent, novis priſci tribuerunt. Mentagram licheni ſubjecerunt: Plinii ſtomacacen Borealium, totiuſq; orę illius maritimæ ἐπιχώριον malum Schörbuykum indigitāt: Anglicus ſudor inter ephemeras letales locum ſortitus eſt. Noſtri ſi totam ſpectes idæam vel formam, accidentia veró accuratiori ſubjicias calculo, lui Indicæ perſimilem, ita ut eundem, aut illi quám maximé affinem, non injuriâ dixeris. Veruntamen quemadmodum ſimilia non ſunt eadem, ita hîc quoq; diſcrepantiam reperire eſt. Dolor capitis, ſcapularum, tibiæ, tergoris totius ulcera fœda, puſtulæ, calli, gummata, utriſq; communia: At alopecia, ſeminis proflu-

vium, bubones Venerei, cariosa præpu-
tii ulcuscula (quibus solis proditur Indi-
cus) hîc minimé conspecta fuere. Frivo-
lum hoc dixeris, cúm ad essentiæ consti-
tutionem nõ necessarió omnia concur-
rãt accidentia, ut neq; ad causam omnia
effecta: dissonantiam levem apparere in
materia & membro, quod contagionem
primarió adeptum est, & hanc non ma-
gni momenti. Esto. Quid veró de causis?
Indica, etiã lues Venerea est dicta, quód
vix vllus, citra congressum Venereum, eá
labe visus est aspergi: contactum obscœ-
norum partium videtur necessarió requi
rere hujus constitutio: eapropter mem-
bra quæ pudor occulit, & generationi na
tura destinavit, primó polluta, toti postea
corpori virus impertiuntur. Sunt qui e
stragulis & linteorum sordidorum usu,
haustum contagium (atro forté cygno
rarius) affirment, vel ut prætextum suis
turpitudinibus afferant, ementiuntur,
quos non multum morabimur, cúm re-
gulæ de iis quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ sic se habent,
tradantur. Hîc veró anus effœtas, septua-
genarias, virgines pudicas, viros senato-
rios graves, matronas honestissimas, ru-
sticos

ſticos terra ſubigenda improbis duriſque laboribus fatigatos, & qui cum aratro & ſarculis cōſenuerunt, hac ἀφορμῇ luem cō-traxiſſe non modó aſſerere, ſed vel ſuſpicari quidem ratio, experientia, pudor, & verecundia prohibent. Adde quód in balneo exordia lues cœpit, loco publico, ubi ejuſmodi illecebris (ut Cynicis belluino ritu in propatulo) locus non eſt: neque quiſquam extra balneum reperitur comprehenſus. Non conjuges ſeſe mutuó infecerunt, nō qui pietatis cauſa, vel obſequii debito, miniſteria ægris præſtabant, contagionem ſenſerunt, ut neq; ex domeſtico familiarique conſortio, virus adhuc aliis impactum fuerit. Verendæ & genitales partes, illic ulcuſculis & callis quaſi περιδρόμοις infeſtatæ: hîc caro cucurbitæ ſubjacens primū ulcere putruit. Differunt itaq; nonnullis accidentibus & invaſionis modo. Quibus non obſtantibus, ad Indicum eſſe referendum vel ἀπόδειξις nos Hippocratica δήλει ἡ ἴησις cogit, ſiquidem iis ceſſit remediis, quibus in illius profligatione uſus eſt. Serius cognatio illa deprehenſa, cúm nullus aruſpicū, vatum vel augurum etiam per ſomnium

ariolari potuiſſet, tam improviſo, & inopinato, malum ignotum, in plebem univerſam, ſæviturum fuiſſe. Ita clanculum radices egit, & levioribus domari deinceps cúm non poſſet, ad ἐσχάτας θεραπείας neceſſarió deventum. Adde Archigenis de conferentibus argumentum. Decocto Guajaci adjuti ſunt, cujus non pro morbi contumacia, ad longiorem dierum numerum uſu prorogato, quid mirum, ſi non ex toto, & quidem radicitus extirpatus fuerit morbus? Fractæ equidem ſunt ejus vires, uſque adeó ut remediis ſuccedentibus facilius poſthac expugnatus fuerit. Sudores magnum attulere pręſidium, qui aut Mithridato, aut ſuccis calidioris temperamenti, expreſſi fuere. Etiam qui præcipitatum turbans exhibuerunt, melius ægrorum ſuæq; famæ conſuluiſſent, ſi catharticis præmiſſis ſudoribus eliciendis ſeduló vacaſſent. Laconico eos Evancicenſis incluſit, chalybis ferríne laminas candentes, aqua aſpergens fovit tantiſper, ut cutis ſpiracula hiarēt, & ſuffitui Miniato iter patens corpus ſubeūdi redderetur: quo tamē Zabrdovicenſem pellionem ſuffocavit. Sané

hydrar-

hydrargyrum unicum luis Indicæ curandæ antidotum multi aſſerunt. Meminimus Rondeletium Præceptorẽ Barbaroſſæas celebrantem pillulas: imó ſeveré interminatum, ne in officinis quiſquam parari præciperet, præſtare videlicet, calumniæ vitandę gratia, domi quẽvis ſuos in uſus conficere, ægriſq; diſtribuere. Etjam ante ſexdecim annos, Baſilienſem Medicum primarium harũ beneficio acquiſitum prædicaſſe audivimus lucrum. Turpetum Minerale Andernacus, voluminibus de veteri & nova medicina, deſcribit, Oſtrutiumq; alio nomine vocari inquit: modũ aſſumendi tradit, annotatis quæ malignitatem ejus corrigere valeãt. Pondus granis tribus, quatuor, ad ſummũ quinq; definit, cum electuario roſato vel vino generoſo, pulvere margaritarum, electuarii dia moſchu, & diambra, ex brodio nucis muſchatæ, in pillularum figuram reduci jubet. Sudorem imperat, ſi bis terve aſſumatur, brevi extirpatam luem pollicetur. Quercetanus operoſam illius confectionem, exquiſitiſſimé deſcripſit, ad grana octo, præmiſſis debitis vacuationibus, aſcendit.

Mirari tamen ſubit, eos, qui tam tutó & impuné, Mercurium ſuum, tam crudum quám præcipitatum, aſſumi poſſe & ſibi & aliis perſuadent, cur vomitariam facultatem ipſi non adimunt? Vulcano toties traditum, ſæpenumero fixum & refixũ, cur per ſuperiora non deſinit purgare? Mitene vel benignum hoc medicaminis genus, cúm ἐμετικὰ omnia violentiſſimorũ cenſu habeantur? Veratri omnes præparationes correctivę eó tendunt, ne per gulam educat materias. Agaricum, ne parietibus ventriculi adhæreſcens, levitate ſua innatans, vomitum cieat, in paſtillos redigimus. Tanta ventriculi & actionis illius ratio habetur, cúm per πυλωρὸν cibi cocti chylum ſenſim demittere, non per ſuperius os, ſenſu exquiſito præditum, convulſionis metu, materias exturbare debeat. Suntne omnes apti nati ad vomitum? Promiſcué abſq; ullo διορισμῷ omnibus datur turpetum, tam qui capite magno, collo oblongo, pectore anguſto, ſcapulis prominulis alarũ inſtar, quám qui differente ſunt corporis habitu conſtituti. E loco, in quo coqui poſſunt, materias non ducendas, in locum ubi coqui non

poſſunt,

possunt, regula est Galeni in Methodo. Ergo non a circumferentia ad centrum. Materiis quę venis sunt prolapsæ, reditus est interclusus: A minus principibus ad digniora, fœdorum ulcerum & pustularum materiem (per σιαλισμὸν inquam) revocamus, siquidem etiam vomitu exinanita restitutionē poscant corporis membra. Estne rationalis Medici, ad fauces, laryngem, linguam, epiglottidem, guttur, animæ canalem, loca inquam spiritui dicata, angustissima, illuviem pituitæ putrescētis proturbare, ubi etiam leves anginæ, suffocationi & ocyssimæ morti occasionem præbent? Suo veró fœtore spiritibus infectis cordi titubationes & syncopes, periculum inquam præceps creare possunt? Causam conjunctam, ipsam videlicet materiam morbum foventem, ex habitu non revocari, neque ad viscera derivari, verúm sublato quasi nutrimento, sua demum sponte exarescere, & persanari, salivam autem colliquata pituita e cerebro, via competenti, defluere inquies. Indicæ luis focus & sedes primaria jecur statuitur, cur itaque cerebrum vacuatur, nisi cephalalgiam creantes eli-

cianturforté humores? Tantamne vim pituitæ putreſcentis ſolo cerebro comprehendi, quæ tot dierum, ac noctium, continuo decurſu, lacunæ perennis inſtar, ore manat, affirmabimus? Nonne idem præſtiterint, etſi minore copia, atqui minore quoq; diſcrimine, præteritis vulgaribus, & tutis apophlegmatiſmis, hypoglottides e foliis & ſucco Tabaccæ. Si tã innocuus eſt Mercurius, cur e præcipitato reviviſcit, & vomitu rejectus, ab Anatomicis veró inter membranas & oſſa crudus deprehenſus eſt, niſi quód omnem naturæ in ſeſe actionem repudiat? Vnde igitur, quam Medici requirũt medicamentorum a calore nativo depromta actuatio? Cariem oſſium num humori erodenti, vel hydrargyro, mordacitate ſua exedenti, & perforanti, etiam ſolidiſſima oſſa, acceptũ feremus? Illi minimé, cúm & ſanum corpus acerrimis nonnunquam ſuccis redundet, qui tamen nõ carioſa, vel teredine quaſi exeſa reddant oſſa. Naturam priſtinam ignis mangonio non amiſiſſe, argumento ſunt annuli & numiſmata aurea, ore detẽta, momento & unico protinus afflatu hydrargyro dealba-

albata: quo loci absq; scelere silẽtio præteriri non possunt bullę lotio innatantes, hydrargyro obductæ, ex historia præceptoris Alexandri Petronii Romani medici gloriosissimi, argentum vivum nimirum & per vesicam emictum testantes. Medicamentum tũ veré dixeris cúm naturam mutat: ilicet: Omne tamen agens, agendo repatitur, neque est de medicamenti essentia, ut natura prostrata, ipsum intactum, de illa triumphũ agat, aut ceu Proteus varias formas subeat, ac tandem actione absoluta in seipsam revertatur. Vlceribus κακοηθεστάτοις aspersum, aut adipi permistum, si illinatur, quod præsentaneum sit remedium, etiam vulneribus, pila e tormento explosa inflictis, extra omnem est controversiam. Idem testatur & Monardus Hispalensis Medicus, cúm venenata etiam vulnera, sublimati usu, tam hominibus, quám pecoribus, persanata, dicat: illius veró ob caritatem inopia, succum Tabaccæ vicariam præstitisse operam, certiore eventu, exemplis comprobat. Atqui nec sublimatum intra corpus recipitur, neq; ilico argumentari licebit, si externis membris vulnere

diductis competit, etiam intra corpus periclitandum, aut eoſdem ſucceſſus ſperandos. Præſtiterit igitur, mitioribus primam in experiundo palmam tribuere, puta ligno ſancto, aut ſi contumaciorem ſe præbuerit morbus, ad unctiones prius, demum ad ſuffumigia etiam invitis provolvendum erit: Celſi auctoritate in attonitorum phlebotome cõſulentis, ſatius eſſe, anceps auxiliũ experiri, quám nullum: potiſſimum cúm dubia ſpes, certa deſperatione potior exiſtat. Proinde quæcunque noſtro morbo profligando conduxerunt, omnia a luis Indicæ cura ſumus mutuati, ut jam vulgo quoq; ſit perſuaſum, tam ſymptomatum quám curæ ſimilitudine (per αἰτονομασίαν noſtri, curam, quemadmodum Galli diætam vocant) Gallici hunc morbi non tam ſimulacrum quám ſpeciem eſſe, niſi quod aliunde quám commercio Venereo contrahi poſſe, noſtris nunquam anté auditum fuerat. Sudoribus cicuratum malũ, & iis quidem natuta vel arte expreſſis. Kodroffskius Eques Polonus exercitiis & concitatioribus curſitationibus, multos dies ſudori eliciendo occupatus, nullo uſu;

lo usus artis præsidio libertati se vindicavit. Historiæ tradunt, Judæos e Betica in Mauritaniam transportasse luem Veneream, illic propriis & peculiaribus pessum ire antidotis: qui veró in ulteriorem Numidiam aut Nigriticam Æthiopiam se conferunt, solius cœli ferventioris beneficio, solibus perustos, absque remediorum ope, integritati restitutos. Causa in promtu est, quandoquidem flagitiosos homines ad remos condemnatos, inedia violentissimaque corporis exagitatione luem exilio multasse perpetuo, sæpius observatum fuit. Posita vel repetita itaq; hypothesi, neminem extra balneum inquinamenti semina hausisse, cõsequens est, ut disquiramus ordine recitatis balnei partibus constituentibus, undenam primarió labes ceu a fonte emanare & seipsam propagare potuit.

Ædificio seu structuræ universæ vitium tribuere, dementis foret, cui nulla in corpus datur actio, neque contactus: ad aerem porró recurrendum foret: ut neque apodyterio, ubi prius lavaturi vestimenta exuunt, nisi in iis latuisse virus dixerimus. Fornax prçterea, seu caminus

ardens viſitur, ſub cujus teſtudine, mate-
ries ſubſternitur igni ſuccendendo: ſupra
teſtudinem acervus exardeſcentium ſi-
licum congeſtus, cui humore affuſo, va-
por excitatur fervidus, qui partim ſpira-
tione hauſtus, partim corpus totum am-
biens & ſubiens, calorem nativum tor-
pentem exuſcitat, ut mutuis conjunctis
operis humores tenues ſupervacaneos
per ſenſum fugientia cutis ſpiracula ſudo
ribus extrudant. Aqua deinceps tepi-
da corpus probè fricatum, ſordibus ſtri-
gili, pumice, vel panniculo aſpero exter-
ſis, abluitur. Calfacto corpore, ſanguine
cū ſpiritu evocato, quibus cordi eſt, me-
dica affigitur cucurbita, ſcalproq; chirur-
gico penitius adacto, epidermis, nōnun-
quam vera cutis cucurbitæ ambitu com-
prehenſa perfoditur, repoſitaq; cucurbi-
ta, ſanguis e capillaribus venis elicitur
(ſcarificationem σικύαν μετὰ κατασχασμοῦ, ut i-
nanem κούφην, dicunt) quæ repetita, non le-
vem cruoris educit, pro impactarum nu-
mero, & corporis plethorico habitu, quā-
titatem. Deliniuntur poſtmodū ſtigma-
ta ſeu vibices unguine aliquo, tam ut ſca-
britiem e punctura contractam tollant,

&ut

& ut dolore mitigato, cõsolidationi subserviant. His vulgus semina latuisse existimat, vel a balnei præfecto, collega, ministrantibus servulis, & ancillis, promanasse constanter asseverat. Persuasionem hanc antequam mentibus eximamus, considerandum erit, quid naturæ tã inimicum, ex toto balneo vel ejus partibus exhalare, emergereve potuerit: aut qua industria, quove humano artificio, venenum ita præparari potuit, ut labes seipsam ita propagaret: demum, an venenum vel contages fuerit, determinandũ erit. Vlcera putruerunt: tetrum olens saliva purulenta, suo fœtore putredinem indicavit: ergo μίασμα σηπεδονώδες. Venena, nulla inducta putredine, sola vi lethali, quam deleteriam medici dicunt, interimunt. Venenorum nulli communis fit malignitas, sed necato animante, progressus eis interdictus: atqui proposito nobis morbo quampluri-mis commune fuit malum. Scopus veneni interitus, contagionis non primarius, sed ut alteri suam impertiatur malitiosam qualitatem: neque perpetuus, cúm paucis exceptis hac nostra

omnes letum evaſerint. Venena e diametro cor oppugnant, & ſæpius expugnant: Hoc malum ſtatiua circum jecur habuit caſtra. Ergo revera & proprio ſignificato venenum eſſe nō potuit, quod ingenio humano confici (lurida terribiles miſcent aconita novercæ) quidē poteſt, at vim ſerpendi, virus communicandi, in quoſvis obvios transferendi, natura ſpeciei cōnſervandæ ſtudiosé provida, ne in immenſum ſceleratorum effrænis excreſceret malitia, illis denegavit. Arti veró naturam ſuperare in agentibus naturaliter conceſſum non eſt. Cujus igitur generis delibuta fuit fornax & ſilices? quidnam deleterii pharmaci vaporem, aquam, aut ſpiculum polluit? quid virulētiæ ſub cucurbita latuit? quid adipi permiſceri potuit, quod laxis habenis ita graſſaretur? ſiquidē venena privata ſunt non publica mala, & contagioſam luem arte excitari poſſe nunquam fuerit obſervatum. Exſtant exempla facinoroſorum hominum, qui e peſtilentibus cadaveribus decoctis, pharmaca conflarunt, & peſtilitatem pluribus communē in vulgus ſparſerunt. Vt hic authorum fidei nihil de-

hil derogatum volo, ita nuſquam auditum, contagia venerea, aut Indicũ morbum ejuſmodi machinamentis divulgatum, cúm craſſiorem contactum hactenus omnes ſcriptores deſideraverint, licet ratione contagii commune id habeant cum peſtilitate, ut ſeminaria & fomitem a ſe relinquant, unde, habito majoris & minoris, ſeverioris inquam & benignioris contagis diſcrimine, celerius aut tardius quis ea poſſit malignitate imbui. Peſtis arte invehi poteſt. Ergo & lues Indica. Nulla hæc nituntur conſequentia. Teſtudinem cui pyra ſubſtruitur, vel ſilices ignitos, quis illitos pronũciabit, igne rerum omnium domitore illic ſummis gradibus cõſpicuo? Venenum poſcit exceſſivos qualitatum gradus, ideo nihil ſimile generare poteſt. Calori hîc juncta ſiccitas, quid parturiet? Seminaria & fomes contagii aliquid humiditatis depoſcunt, cujus in flamma nulla, aut exigua admodum portio. Contagium putredinem producit: at præter ignẽ omnia putreſcere poſſe Philoſophus ſtatuit, hunc ſolum immodica ſiccitate putredini reſiſtere docens. Quam igitur luem medio

igne investigabimus, quo etiam durissima metalla lustrantur, & perfectionem adipiscuntur, omniaque illi injecta tandem conflagrant. Par de vaporibus affusione aquæ e bullulis, elevatis, judiciũ esto, si orta attestabuntur principiis. Fovemus interdum valetudinarios balneis artificialibus, decocto herbarum odoratarum laminis ferreis aut lapidibus excalfactis asperso, ubi vapor odorem, qualitates & vires denique omnes decoctionis refert. Balnei fervens vapor, nullam manifestam sub sensum cadentem pravitatem præ se tulit, nihil olidum naribus, nihil nebulosum vel obscurum caligine oculis objectum fuit, unde vel levis conjectura luis præsentis capi potuisset: quæ si a lapidibus exordia cœpisset, præteriri minimé poterant. Vaporem tamen illum distributioni contagis, & promulgationi strenuam non navasse operam, inficias nemo iverit: sed primam & præcipuam illic sedem ac mineram sive originem statuendam, pernegamus, nisi subjecta unde vaporosi halitus exspirarunt, vitio non caruisse prius probatum fuerit. Oportuisset deniq; omnes qui eum intra viscera

viſcera ſpiratione hauſerunt, non ſolúm eos qui cucurbitas admiſerunt, pari ratione infici. Si aquam accuſaverimus, vel ea quæ ignitis lapidibus affunditur, corruptelæ expers non fuit, vel qua univerſum corpus proluitur, pollutam oportuit. Neutrum jure affirmari poteſt. Si quid in priore labis extitit, igne correctũ vel conſumtum fuiſſe eſt neceſſarium: hac veró, cúm totum corpus non ſemel atque iterum, ſed ſæpius obruatur, veriſimile fuiſſet, cutem quæ primó aquam excepit, ejuſque alterationi expoſita fuit, primúm fuiſſe perpeſſam non per partes, ſed totam, cúm æqué vnum ac alterum membrum tinctum immerſumq; lavacro fuerit. Conſuetudo item obtinuit, ut poſtquam ſudoribus propé diſſoluti fuerint, fœdis cutis furfuribus abraſis, in ſolium præcipites ſeſe dedant, illic longam nectentes moram deliciando cunctentur. Id, eodem aheno hauſta unda, repletur, calor frigida eodem puteo extracta temperatur. Cur itaque non univerſum corpus ilico, porriginoſa ſcabie, tumoribus, puſtuliſq; defœdatum, quatenus tota cutis tacta eſt, apparuit?

Deinde μιάσματα tam fluido ſubjecto cohærerene potuerant? Viſcidam ſubſtantiam quæ facile diduci, cōtagium diutius aſſervare: ut continuitate multiplicari poſſint, ὀκκρίσεις pro ſubjecto poſcunt. Humidum alieno facilè, ſuo ægrè coerceri poteſt termino. Seminaria oportuit eſſe potentiſſima, quæ & puteum inquinaverint, & ignis conſumentis vim dum fervescit aqua, effugerint: illic veró frigus ſcrobis ſubterraneæ vicerint eique inſederint, ut paucitatem vaporum & eorum quoque imbellium (ſi cum calore contuleris) qui e frigidis rebus exhalare ſolent, prætercam. In uſum ciborum elixandorum venit aqua, penitius intra corpus aſſumta nullam peperit noxam. Itaque in exceſſiva humiditate contineri potuiſſe quin diffluerent aut inertia redderentur ſemina, docere prius oportuit. Cutim dixeris pollutam. Exigua cucurbitæ ſubjectæ portiuncula quam feriit ſcalpellum, recepit inquinamentum. At diligenter abſtergere cutim, ſuperficie tenus aqua vel madore perfuſam, antequam adhæreſcat cucurbita, in more poſitum habēt artifices, ut culpa in aquam minimè conferri

ferri queat: qua cúm omnes æqué perfuſi ſint, rationi videtur conſonum, omnes, non modó quibus cucurbita impacta fuerat, offenſam perpeti debuiſſe. Secus accidit. Par de cucurbita ratio. Si in eis occultatū delituiſſet virus, omnium veſtigia putredinis conceptacula fuiſſent. Atqui duę vel tres ad ſummum, una plerunque, pro proportione & numero inhærentium cucurbitularum, exulceratione moleſtata fuit. Innumeráne ponemus, aut cōtinuitate in infinitum producta ſeminaria, quæ ſigillatim quanque & centenarium numerum longé excedentē infecerint cucurbitam? Vtrumq; rationi diſſonum: ut hoc impoſſibile, ita & illud, quod cæteris intactis uni vel paucis adhæſerit contagium, cúm natura nō ἐκ τῆς προαιρέσεως agat, non plus huic quám alteri vicinę inſtillaverit, neque artifex cædem molitus, unam præ reliquis notatam habuerit. Præterea priuſquam impingantur cucurbitæ, ſolertem iis aqua tepida abluendis curam adhibēt, eas diutius macerant, & qui balneatorum ſuſpectas habent fraudes, ipſimet crebrius fricant, abſtergunt, & tam intus quám foris, ne

quid ſordium aut immundiciei adhære-ſcat, ſolicita indagine perquirunt. Deli-catiores e locupletibus, repudiatis vulga ribus æneas ſecum domo deferunt cu-curbitas. Quid reliqui imbutæ contagio-ni ſupererit, quominus extorris a tot ab-lutionibus reddatur? Si quid ſuperſtes remanſerit, flamma cucurbitæ incluſa, nonne ei abſumendæ ſufficiet? Imó cúm ad ſe trahat cucurbita, ſi quid cuti ſubja-ceret virulentiæ (quatenus ſeſe exporri-geret ἐπισπαστικὴ vis ſua) violentius evoca-ret, quám ut illi putrefacientem imperti-retur malignitatem, cúm aliorſum pro-pellendi deſtituta ſit facultate. Vel igitur omnes cucurbitæ fuerant inquinatæ, aut omnes immunes eſſe oportuit. Neutrũ verum. Ergo luis origo illis accepta ferri minimé debuit. Si ſpiculo, minutulo ferramento cutim perfodienti impactã dixerimus luis materiam, in eundem im-pingemus lapidem. Cur non omnia lo-ca ſcarificata putredinem conceperunt? cur uni ſoli vel paucis numero ea com-municata? Phlebotomum ſpecillum cúm genuinam pellem altius ſubierit, veriſimile eſt, parietibus membri ex vulne-

vulnere inflicto divulsi, e vestigio adhæsurum si quid inest toxici, neque reliquum futurum quod secundo vel quinquagesimo ictu, cúm vi adactum ægrius revellatur, communicetur. In infinitum non datur actio neque progressus: infinita non fuit vis, neque fomes immensus. Si extrinsecus, ut ariolantur, spiritu vel afflatu illi fuisset virulētia attributa, crebrā de integro cuspis illitionem aut afflationem reiteratam postulavisset, quód in tā numerosis puncturis, velocissima operatione, fieri non potuit: aut si forté tentatum, suspicionis crimine & reprehensione vix caruisset. E napello toxicum qui conficiunt feris interimendis venatores, (ejus merito Hispani hierva dellos balastrieros indigitant) spicula aut sagittarum mucrones ad cujusvis feræ ictū absumto veneno, denuo relinire necesse habēt, eoque vasis e bovis cornu affabré factis inditum circumgestant. Huc accedit, quód absoluta unius aut alterius scarificatione, hebetioribus redditis, ad cotem, vel lora in hunc usum confecta denuo scalpellis obtusis acies inducitur, splendore uná allato, qui nihil sordidum

inhæſiſſe, quód vel actionē celerem cunctando remorari, vel infligendo, vulneri venenum transfundere potuiſſet, manifeſté arguit. Pinguedine delibuta redduntur ſtigmata, remotis jam ſcarificatione finita cucurbitulis. Ea latuiſſe abraſum virus, ſunt qui ſuſpicentur. Quisnam eó ſeminaria abdidit? quo artificio eó occultata aut incluſa ſunt? Sævum olei loco, lucernis noſtri materiam flammæ ſubminiſtrantes, adhibent: illi quo pacto permiſceri potuerunt μιάσματα, cúm naturæ ſolius ſit tota per tota miſcere? Cur artifex ungens frequenti tractatione non impetitus prius quám unctus? Vnius cucurbitæ veſtigium cur putredinem concepit, omnibus ex æquo delinitis? Deinceps ignis accenſo ellychnio nonne potuit, ſi non prorſus abſumere, attamen aliquantiſper corrigere virulentiam illā? Eadem repetitur κράμβη. Extremó ſuſpicionibus tantum fuit indultum, ut affirmarent Adamum cum collega Ambroſio Indico morbo laboraſſe, & opera chirurgi Evancicenſis reſtitutos olim fuiſſe: nunc etiam exuvias quaſi veteres redivivas contagio occaſionem dediſſe.

Hi

Hi contrá constanter pernegare factum. Esto. Quadriennium abiisse dicunt. Cur modó prorupit? ubinam hactenus latitavit? Ex eo tempore aliquot hominũ myriades iis se proluerunt balneis, nemine eorum labem ullam aut affectionẽ persentiscente, licet iidem, lavantibus, necessariis exhibitis ministeriis, continuó astiterint. Recens tum & magis efficax contagium, quám inveteratum modó, erat. Cœca dices occultaque seminaria, neque de necessitate esse, ut ocyssimé emergant, plus nimirum flagitare temporis, & posse diuturnioris temporis spacio morbos repullulare, qui jam tenebris opacis absconditi & sepulti judicabantur. Cur autem hac quam illi commiscuntur recidiva, securum & immune universum fuit famulitium? Ministrantes prius pollutos oportuit, si propagari ipsorum consortio debuit labes. Omnis autem maculæ expertes fuisse, non scabie, pustulis, cephalalgia, artuumq; cruciatibus divexatos, omnibus in confesso est. Antidotis inquies se munierãt. Quibusnam obsecro? Inter luis Indicæ cautelas potissimum venereæ illecebræ no-

tantur, ut qui ea corripi non volet, fœminarum congreſſu abſtineat, & arctiorem cum infectis conſuetudinem fugiat. Noſtris hominibus mehercule hac lue nihil præſidii attulit abſtinentia iſta, cúm aliunde manaret contagium. Adoleſcenti veró, cui perfodiendi pellem partes erãt aſſignatæ, quam ignominiæ notam inuſſerimus? Eandem is ſubibit aleam? Hærent. Ex iis liquidó quivis æſtimare poterit non e cauſis putatis ortum inquinamentum, ſed aliam ipſius origini cauſam comminiſci oportere.

Contagioſum non venenatũ novum hunc eſſe morbum ſuprá cúm conſtitutum fuerit, neceſſarió perveſtigandum, de origine illius certam ſcientiam habituris, an cõditiones in contagio requiſitę illi affuerint, necne, alioqui in vado qđ ajunt, hærebimus. Ad conſtitutionem contagii cõcurrunt, Putredo, & quidem non vulgaris, ſed quę totam ſubſtantiam reſolvat, e qua emergunt halituoſi vapores, non quidem inanes, quæ ſolam vim aut qualitatem nudam, verumetiã portiunculas quaſdam ſubſtantiales (ut ſemen totam plantam in ſe continet) aut eſſen-

essentiales tota subjecti corporis natura præditas secum vehant, quarum ea est virtus & efficacia, ut putredinem in specie similia corpora traducere, & eandem iisdem dispositionem impertiri, ut nihil interim de subjecto unde prodeunt decedat, possint: sed origine a corpore polluto (undecunq; illud contaminatum fuerit) ducta, exuscitentur vapores viscidi, seminariis putridis referti, qui transferre possint affectionem putridam in specie similia subjecta. Vt igitur in omni alteratione perpendẽdus terminus a quo, & terminus ad quem, ita res quæ propagare debet contagem, oportet ut sit putrida: ut vaporem ex se mittat, eumque imbutum dotibus, quibus & subjectum unde emanaverat, & eandem specie dispositionem alteri communicet. Neque prius germano sensu genuinoque significato dicetur contagio, nisi cúm subjecta e quo derivatur, & in quod transfertur inquinamentum, eadem contaminatione aspersa fuerint, etiam ex agentium & patientium relatione mutua, cúm agens non possit suam formam imprimere passo, nisi prius ipsum eadem

qualitate imbutum fuerit. Quam in camino, ſilicibus, aqua, cucurbita, ſcalpro ferali, unguine ſtatuemus putredinem? Eſtne animantis, aut inanimatæ rei accidens putredo? morboſamne illis tribuemus diſpoſitionem, cúm neque valeant neque vivant? Differentem toto genere effectum tribuemus cauſis putatis? Suppeditabuntne qualitatem paſſo, qua ipſa deſtituuntur? Inficientne aliquid ſpecie diſſimile? Cúm uvæ, poma, pyra, non lignis aut lapidibus putredinem inſinuẽt, ſed ſibi ſimilibus fructibus, cur ſuprá recitata balnei inſtrumenta eandem humano corpori impertientur? quęnam inter hæc cognatio vel συμπάθεια, vel in partibus integralibus, aut tota temperatura? Quid vaporoſi effluvii manabit e ſilicibus, cucurbita, ſcalpello? Tantundém liquoris ut e pumice aut ferro expreſſeris. Aqua veró ratione frigoris & paucos edit vapores, eoſque ab obviis quibuſcunque ſuperatu faciles. Malus veró diuturnitatis cuſtos, ob liquidam & fluidã ſubſtantiam, eoque viſcoſa ſeminaria neque coercere, neque continere tantiſper, ut validiorem impreſſionem faciãt, poteſt.

Adven-

Adventitio fervore ſi incaluerit, ut ille eſt propémomentaneus, ita eo ſolū vertente aliorſum faceſſit, etiam vis putris, illi ſi qua irrogata fuerit. Adeps licet craſſus, frigore concretus, ratione tamē pinguedinis aliquid aereum obtinuit, cujus merito diſſolutus & calefactus, vaporem ederet quidem, at num ille putridus eſſet futurus, & an putredo vera illi competeret, neminem aſſerturum exiſtimo. Si igitur omne contagium in ſimili, neceſſarió conſequetur e natura contagii, cúm homines contaminati fuerint, labis principia ab homine quoque dimanaſſe. Idcirco oportuit balnei præſidem publico hypocauſto infectorum medelam inſtituiſſe, illos vaporario eodem foviſſe: aut ipſummet, pilicrepos, ciniflones, cæteroſvé balnearios miniſtros, vel domeſticorum unū aut plures pollutos, aliis luem communicaſſe. Si hoc probari non poterit, reſtat ut dicamus, quempiam illic laviſſe, qui prius Indico morbo infeſtatus ſeminaria contagii hinc inde vaporis tepidi adminiculo diſſeminaverit. Præterquam quód balneator pertinaciſſimé factum pernegat, ejus innocentiæ etiam

hoc patrocinari videtur, quod qui hydrargyro unguntur, aut fumo e Cinnabari torrentur, per cõtinuos dies decem, viginti, plures, aut pauciores, prout rei exigit necessitas, execrandum hoc curationis genus sustinere necesse habent. Vacare ægris quidem licuit diebus intercalaribus: at cúm publica (quod ter quavis reiteratur septimana) prostabant lavacra, quorsum migrare fecit ægros? In aliud, inquies, conclave. Atqui omni aere toto curationis tempore illis interdictum, neq; absq; vitæ discrimine aeri frigidiusculo sese expónere possunt, sudatoriis perpetuó inclusi, quantum censes in toties repetita transmigratione fuisset periculi? Si olim ipse vel suorũ quispiam fuit commaculatus, latuit forté fomes seminarii in stragulis vel vestibus (ut accidentia suis causis tecta sæpé occultantur, ut sensus quoq; fallant) qui tandem excitatus contagii auctor fuit, ut causa, quæ aeri primó vel corpori tangenti, aut assumenti communicaverit perniciem. Huic tamen assertioni repugnat vomica sub cucurbita, ubi fixa videtur fuisse putredinis basis. Hisce ambagibus facilius

nos

nos extricabimus, neq; tot difficultatib⁹ involvemur, si culpā in externum quempiam conjecerimus, quod minimo negocio propugnari poterit. Adiit balneum, ibiq; lavit, vehementer hoc anté infestatus morbo. Licuit ipsi. Tantos enim balneatorū avaricia fecit progressus, ut cuivis ingredienti promiscué & impuné fores pateant, nullo discrimine opum, gradus, vel dignitatis habito, nullo examine pollutorum & contaminatorū ab iis qui macula omni carent, instituto. Thermis agro Viennensi lege sancitum, ne quis ulcere, scabie, aut alio cutis vitio notatus sese proluat. Præfecti partes sunt, ubi levis apparet suspicio, ampla cum potestate perscrutandi etiam nudos, & si quid macularum apparuerit, eum arcendi, aut in ea loca, quæ in usum defœdatorum separatim exstructa sunt, delegandi. Quamvis & hîc

Dat veniam corvis, vexat censura columbas,

dixerit quispiam. Si fidem tuis conjecturis adhiberi velis, digito commonstrato & dicito, Hic est. Ocularis sané demonstratio omnem animis eximeret dubitationem, neque hic labor nobis assu-

mendus fuiſſet. Veruntamen in tanta colluvie hominum, loco omnibus pervio & patente, corycæos quoſnam inſtitues? Quid ſi plures fuiſſe dixerimus? Ex tam multis exiguo intervallo temporis corruptis, ariolari non vana conjectura licebit, non unum ſolum fuiſſe. Ter quavis hebdomada calefiũt hypocauſta, catervatim eó advolant omnis generis homines. Artifices manuarii hebdomadario penſo abſoluto etiam ſole jam occiduo agminatim eó cõfluunt: ruri qui habitant, ruſticanis laboribus exantlatis, ſudore & horrido pædore fœdiſſimi exoneratum ſordes gregatim huc concurrunt. Quid impedit, quo minus in tanto numero, ſupina balneatorum negligentia, aut importuna argenti ſiti fameq; aliqui lue Indica jam marcidi clanculũ ſeſe ingeſſerint? Si ſub crepuſculum veſpertinum ingrediantur, etiamſi ulceribus ſordidiſſimis ſcatuerint, quis animadvertet? cúm tenebrarum beneficio ulcera & Telephia facilé quivis occultaverit. Patuit acceſſus, ut ſuprá retulimus, etiam Apellis recutitis duobus Hunnobrodenſibus impuriſſimis, aliás a conſortio Chri-
ſtiano-

ſtianorum abigendis, quos etiam antea labe nõ caruiſſe vel hinc ſuſpicari licet, quód alter nõ longo póſt tempore vitam cũ morte commutaverit, alter in lepram morbum magis horrendum inciderit. In Italia & Galliis morbus hic familiarior eſt, attamen gentis inſtituto publica balnea vel nulla, aut vix uni vel alteri peregré advenientium frequentata, neque niſi per vices (cúm has delicias non tanti faciant, vel privatas metu pollutionis locupletiores inſtituant) lavare cõceſſum, tum invitis lavantibus, balnei non datur ſupervenientibus, niſi primi exceſſerint, poteſtas. Eápropter hac via malũ communicari non ſolet, cúm alia compendioſiora luis adipiſcendæ aucupia in uſu habeant.

Proinde infectus vel infecti, balneum ingreſſi, corpore concalefacto, flatu ſive ſpiritu aerem polluerunt, vel per contactum vicinos aſſidentes coinquinarunt. Si per aerem labes propagata fuit, tunc neceſſarió e corrupta ſubſtantia infecti emerſerunt corpuſcula putredinis ſemina cõtinentia, quæ vel νοσερὰς ἐκκρίσεις, μιάσματα σηπεδονώδη, πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρὺ, ἀπορροὰς, vel ἀπο-

κρίσεις nominaveris, nihil intereſt, modó de reipſa conſtiterit. Seminaria illa balnei tepido vapore recepta, ſeſe inſinuaverunt corporibus aliis, vel per hiantia corporis ſpiracula, vel viis ſpiritus hauſti, labem aere corrupto propagaverunt. Quód ſi craſſiorem contactum requiſiveris, infectus incaluit, ſudore diſſolutus, toto corpore corrupto virus extruſit: tũ ſordibus cutis abſterſis (ob frequentiam lavantium crebró ut ſeſe mutuó contingant, uſu venit) vicino aſſidenti eas impertivit, ita cuticularibus meatibus reſeratis, facilé ſubiit contagii ſeminarium. Prior modus ob corruptorũ copiam veriſimilior, cúm iſti adverſetur locus putredinis, cucurbita medica quaſi coercitus, quó ſordes vix pertingere potuerũt.

Tam leviáne dixeris horrendæ luis primordia? Plures eodem tempore infecti, eos ceu qui a Scorpio icti, ab eodem medelam depoſcunt, in balnea recurriſſe ſuperius narratum, unde malum cõſequuti fuerant, remedia illinc flagitabant: at pro theſauro carbones reperti. Iterum & tertiúm repetebant cucurbitas, quæ non niſi vaporario hypocauſti, ſanguine excale-

calefacto, & foras evocato, affigũtur: quó plures eó concurrerunt, magis auctum contagium. Præterea morbo inter initia occulto, furtim ſuſcepit incrementa, minus providis hominibus, a converſatione illorum nemine abſtinente, tum ſenſus fallens omnes, radicibus jam actis primúm fuit cõſpicuus, cúm jam univerſus ſanguis corruptus fuiſſet. Sic putredo aucta, invaluit contagium tam in quali & quanto, ita multiplicata ſeminaria. In majori quanto major virtus: ita increbreſcentibus morbidis, eoque confluentibus ſubinde majores vires concepit vis contagioſa. Quid ſi addamus ſeminaria fuiſſe adeó viſcida & ſordida, ut parietibus balnei etiam, & ſtragulis aut aliis indumentis, conclavi ſpoliario adhæſerint. Ter quavis ſeptimana calfactis balneis, fomes illic aſſervatus revixit, & infectionis propagationi non leves tulit ſuppetias. Ecquid de cucurbita? cur illic baſis fuit putredinis? quo pacto eó confluxit vis contagioſa? nulloque alio loco ſenſibus primúm quám illic ſeſe ſubjecit labes. Hoc opus, hic labor eſt. Cucurbitam cuivis ſedi

vehementer impactam, magici incantamenti instar ad se trahere, cum Galeno profitentur Medici. Lanceola epidermide discissa sanguinem violenter extrahi αὐτοψία docet. Luem intro jam receptam spiratione, vel contactu, anté constitutum fuit: quid igitur impedit putredinis seminaria ab efficacissima cucurbitæ vi attractoria, ejusdemque operatione velocissima, antequam alibi sedes figerent, in eum locum pertracta fuisse? Attrahere dicitur fuga vacui cucurbita: carnem subjectam primúm calefacit, quæ deinceps rarefit, daturque spacium spiritus aut vaporis exhalationi (quam ἄδηλον διαπνοὴν vocant) accedentibus vulnusculis, tenuior primitus, postea & crassior sanguis exudat. Contagiosam vim huc initió concessisse, non solúm conjecturæ, verumetiam ἀποδείξεως instar est φλεγμονὴ, ardor, rubor, dolor, pustulæ circumquaque efflorescentes, quæ in fœdum abscessum terminatæ sunt, cúm neque putredo contagiosa, ἄνευ ὑπεκκαύματος fieri possit. Contrarium sentire videntur auctores, qui non secus ac leporem marinũ pulmonibus insidiari, torpedinẽ

ner-

nervis ſtuporē conciliare: ita etiã Indicũ primo protinus occurſu jecur occupare, firmiſſimis ſtabiliunt argumentis. Affirmari hoc noſtro morbo id minimé poteſt, prima ſcilicet fronte aut primo occurſu vim hepati eſſe illatam, ei veró tandem communicatum nullus inficias iverit, argumento e ſymptomatum natura & eorundem congerie depromto. Hippocraticum eſt: Vbi dolor, calor, frigus, ſudor, ibi morbus. Ergo & cauſa vel humor morbum procreans. At non niſi ambitu cucurbitæ caro comprehenſa initio doluit? Imó diverſitas locorum, in diverſa traxit morbi materiem, ut ſi circa ſcapulas, dorſum, genua, adhæſiſſent cucurbitæ, eó ſtatim derivaretur malum adhuc ὀργάζων. Tam anguſtiſne finibus lues coercita, horrendorum ſymptomatum author exſtitit? Solum ulcus principió curationem poſtulabat: (quod ante pedes eſt vulgus perpendit) illâc educi contagioſa ſemina oportuit, illud conſolidatum, materias aliorſum præcipites ferri juſſit: hinc dolores atrociſſimi artuum conſequuti. Imperitia itaque chirurgorum ſubſidia porrexit luis incremento.

Loco affecto ἀποκρυστικὰ, fervorem extinguentia, actu frigida, adhibuerunt: Omnibus autem cutaneis affectibus, contagiosis & venenatis morbis a circumferentia ad centrum repulsio interdicta. Tabaccę liquor(licet herba & succus palato acrem & urentem exhibeat facultatem) cúm sub altercorum classe collocetur, refrigerantem & repellentem vim obtinuit. Lac virgineum, unguen rosaceum, Refrigerans Galeni, & alia id genus apposita, contagiosam vim repulerũt intra corpus: tum illa mineram suam seu focum jecur nimirum petens, sanguinem paulló póst totum corrupit: qui toto pervagato corpore, nutriendi beneficio præditus, pabulum membris pollutum αἱματώσει vitiata exhibuit, tale inquã, qualis ipse jam corruptus fuerat. Hinc scabies fœdæ, ulcera Telephia, dolores artuum, longo examine originem traxere, & reciproco quasi itinere sanguis oberrans modó ad contagii basim, illinc veró repetito cursu materiæ profligatæ ad jecur, omnium accidentiũ etiã sævissimorum occasionem præbuerunt. Tenuium humorum est ὀργασμὸς, avidissima humorũ cupi-

cupido: Sed craſſam indicant omnia ſymptomata materiam, & frigidam, earũ videtur raptus tardus, cui motus ignavior ſuffragiũ feret. Tenuiores partes abſumtas etiã a flamma cucurbitæ, craſſioribus reſiduis, docet alopecia (leviſſimũ Indici morbi accidẽs) in nemine cõſpecta, cúm a ſalſis, acribus & tenuibus humorib. radices pilorum erodentibus, depilationes oriãtur. Si ſeminaria cõtagioſa primo impetu jecur protinus inuaſiſſent, fieri non poterat, quin ceu in cloacas ſua ſe emunctoria exonerare ſolitũ, tumores inguinũ protruſiſſet. Bubones veró nuſquã conſpecti, veluti neq; gonorrhœa, cúm non e venereo congreſſu ortum duxerit malũ. Deinde vim cõtagii tantã, tã exiguis carceribus definitã cui admirationẽ pariet, cogitet, nõ ſemper copia, ſed vehemẽtia agendi & promtitudine, malignitatẽ ęſtimari: neq; initio tantã illius fuiſſe copiã, quin cogi in anguſtũ potuerit, ſiquidem & extra cucurbitæ veſtigium ſeſe poſtea diffudit. Sed cúm creber pollutorum ad balnea fieret concurſus, auctariũ datum putredini, præſertim corporib. cacochymicis iuxta diætam ſuprá declaratam.

Tum quia non matutinis, ſed pomeridianis horis calfiunt balneæ, neque niſi lauté pranſi, potibus cibiſque abdomine diſtento, cuti balneis nitidiori reddendæ indulgent. Non deſunt alii, quibus in deliciis eſt inter lavandum ſeſe mero ingurgitare. Fomenta hæc ſunt contagionis celerius attrahendæ: & ſi quæ attracta, maligniore qualitate imbuēdæ. Quó igitur plures infecti, majus inquinamentum, major communicatio, vehementior putredo, quæ ruptis repagulis tandē per univerſum diſſeminata corpus, non ut anté arctis ſedibus contenta, omnes hominis commaculavit humores. Nonne qui a ſcortis malum mercantur, plerunque carioſis ſub præputio exiguis admodum ulcuſculis infeſtantur? Contagio loco valde exiguo primúm adhæſit (nonne e ſcintilla primúm favilla, poſt ingens rogus) deinceps jecori tranſmiſſa, niſi opportuné remedia & tempeſtivé adhibita forent, æqué ut noſter horrenda inveheret accidentia. At ubi familiare malum, trivialia etiam vulgo cognita ſunt remedia, & principiis cúm obſtiterint, de cetero minus ſunt ſoliciti: cúm noſtri

noſtri non niſi ſuo malo ſapiant. Reſtat enodanda quæſtio, quid ſubſit cauſæ, quód ſoli, ſcalpro vulnerati, & cucurbita uſi, labis nocumenta conceperint. Æquum fuiſſet, cúm clauſtro communi e corpore vapor viroſus emerſiſſet, vel omnes qui tunc præſentes affuerant, pariter contaminari: aut hoc non conceſſo, ſaltem non ſolos ſcarificatos impeti, aut vitium contrahere debuiſſe. Culpa venit tribuenda ſpargenti, vel excipienti contagium, aut ipſimet contagio. Quod pollutus, uni efficacius quám alteri impertiverit luem, veriſimilitudinis nihil habet, cúm in ſuo non erat id poſitum arbitrio: & ſi voluntas minimé defuiſſet, operandi tamen poteſtate deſtituebatur. Neque diſſimilitudinem, ratione ſui, in contagio eſt reperire, cũ nulla ſymptomatum diverſitas, formam ſi ſpectes, obſervata ſit: neque majus & minus differentiam ſpecierum conſtituant. Reliquum eſt igitur, ut diſcriminis cardo circa excipiens volvatur corpus. Expulſa eſt contagionis ſementis, quam non omnes in ſinum recondidiſſe conſentaneum: cúm nõ ex quovis ligno fiat Mer-

curius: defuit analogia: nulla fuit ἐπιμότης: ſymbolo fuere deſtituti. Vatiniano peſtilitas cor impetit odio, non tamen cunctos mortales vel præhendit vel jugulat. Ita neceſſarió nõ deducitur, omnibus, contagii hauſtis ſeminibus, peſſum eundum, aut pœnas luendas. Hic veró cui certó conſtat, aut quis impuné aſſeveraverit, cúm initio labes in balneo ſparſa fuit, non omnes tunc præſentes ex æquo infectos, vel non omnes cucurbitas (cúm raró non niſi ob eum finem balnea petãt) apposuiſſe? potiſſimũ cúm origo vel momentum invaſionis hactenus omnes latuit, neq; dies aut hora certó præfiniri poteſt, quo quis ſe infectum noverit, vel aſſeverare auſit. Nullam vim meo judicio veritati faciet, qui vel omnes, non ſolúm ſcarificatos, dixerit infectos, vel omnes cucurbitis tunc uſos, cúm fundamenta contagii jacerentur, pronunctiaverit, cũ contrarium, quo illa deſtruantur, afferri non poſſit. Ne tamen videamur quaſi forenſibus diverticulis alios ludificari καὶ ὑποσκελίζειν, dicamus: Contagium ex pluralitate contaminatorum ducto argumento, vehemens quidem ſtatutum, an

ve-

veró crassum aut tenue, in ambiguo collocatum fuisse. Initio semina tenuia, ut etiam sensus & obtutum fallerent (alioqui quisque sibi cavisset) consentaneum. Quo concesso, quid obstiterit asserentibus, magis quám aliás corpore in thermis patente, & undiquaque pervio, hausta quidem, sed eodem protinus momento, eadem via, etiam propulsa quibusdam exactaque fuisse seminaria? Vires adhuc præsentes, patuit tam appulsus quám regressus, nullo obice, aut retinaculo impediente. Si tempori, (cúm omnis actio in tempore, & tempus sit numerus motus) vel moræ in agendo aliquæ partes sunt assignandæ, neque tantum cunctentur in balneis, qui cuticulam duntaxat curant, ac qui sanguinis detractione occupantur, supervacanea quæstio, cur hi, præ illis sauciati: Vel non tantum fuit roboris seminariis, ut tam citó suam illis imprimerent qualitatem, vel efficacitas minimé defuit iisdem corporibus ad resistendum, nulla præsertim via ipsis invia, tam concipiendo quám repudiando contagio. Quemadmodum igitur

de facili fuit comprehensum, ita minimo negocio evanescere, difflari, dissiparique potuit virus, ne firmas ageret radices, aut perpetuas illic collocaret sedes. At qui cutim sauciarunt, & cucurbitas impegerunt, eó ceu in cuneum omnes luis coegerunt copias, coaggerarunt in eum locum quicquid uspiam corpore virulentiæ continebatur, & sic robur majus adeptum (virtus unita, fortior dispersâ) seipso potentius evasit, donec sanguini & jecori, sanguificationis officinæ, transfunderetur vis contagiosa, quæ longo accidentium numerosoq; examini, tandem materiam & occasionem præbuit. Putredo igitur contagiosa, intra corpus recepta, cucurbitæ vestigio ceu foco aut fonte, sedem fixit, illinc jecori propagata, deinceps toti sanguini labem impertivit, balneo vectoris vel traducis duntaxat munere perfuncto. Quod ex suprá prolatis planum & perspicuũ evasit. Transeundum ad eos, qui propinquioribus causis minimé cõtenti, porró progrediendum, & antecedentium causarum urgent investigationem, eoque contagionis principia in sublimes causas cœlitusque dela-

psa

pſa ſeminaria referunt. Conſpicati ſiquidem plurimos confertim præhenſos, quemadmodum aliis populariter graſſantibus morbis cœleſtes & generaliores aſſignamus cauſas, ita huic quam maximé univerſalem, & ſupra vel plus quám naturalem attribuendam decreverunt. Petitis quoque e ſiderali ſcientia rationibus, crinitis ſtellis, aſpectibus trigonis, tetragonis, hexagonis, errantium ſtellarũ, earundem conjunctionibus & oppoſitionibus mutuis, in morborum productione neſcio quid latentis ἐνεργείας, ut aliarum rerum ſub lunæ orbe contentarum generationi & corruptioni, attribui debere, contendunt. Huc accedit, quód 10. Novembris die apud nos, alibi veró citius & tardius, infeſtum ſidus Cometes ingenti viſus magnitudine, quem adhuc fulgentem non longé póſt ceu ſoboles illius (cúm etiam inopinató apparuerit) morbus contagioſus excepit. Suffragium iis fert ſacroſancta veterum auctoritas, qui epidemios morbos, eorumq; exortus, & durationes, in planetarum inſolitas copulationes retulerunt, quód etiam inductione probaturos ſe pollicen-

tur. Diverſam præter vulgarem & gregariam cauſam effectricẽ, noſtrum produxiſſe argumento eſt illius ortus & occaſus, cúm ſolis in Capricornum ingreſſu, ſole inquam hybernum ſolſtitium cõſtituente emerſerit: ejuſdem in arietem ingreſſu verno æquinoctio ineunte, ceſſerit, eaque ratione trimeſtri inquam decurſu ſuam emenſus ſit novus morbus periodum. Et quandoquidẽ morbus Indicus, cui hic cõgener, vel idem prorſus, dictus e cœlo aut tartaro potius originẽ traxiſſe perhibetur, rationi cõſonum, ut cui convenit definitio e Dialecticorum placitis, ei etiam definitũ competat. Non parvi hæc eſſe momenti, eoq; non ſuſq; deq; faciẽda, ſed diligẽter expendẽda nõ nulli cẽſent. Unde Indic⁹ exordia ceperit, *Grammatici certãt, & adhuc ſub judice lis eſt*. E diverſo aſtrorũ poſitu qui futura prædicunt, fatales quaſdã cœli revolutiones notarũt, puta, prodigioſum Saturni, Martis, Jovis, trium inquam ſuperiorum errantium ſiderum, cõgreſſum: hic quó rarior, eó rariores & formidabiliores parit eventus: cúm quia cauſæ ſunt potentes, vehementiores proinde faciunt impreſſiones:

ſiones: tum quia ratione cunctationis & durationis a motus tarditate profectæ operi diutius inſiſtere valent. Ab ea itaq; portentoſa coitione, ominoſa prædicenda, nec quicq; plebejum & vulgare exſpectãdum, præſertim in novorum morborum ſuccretione, ſed contagioſos & peſtilentes metuendos. Alii ex corrupto alimẽto, quo infans in utero nutritur, nõ ſecus atq; morbillos & variolas prodire, eaq; ratione ſponte ſua abſq; cõtagio, Indicum poſſe ubiq; oriri aſſerunt, eo ſolo argumento, quód nullus morbus perpetuó hominem infeſtet, quin aliquãdo finem faciat. Cõtagio autem ſemper præſupponere aliũ infectũ neceſſitas exigat, & ita dari progreſſum in infinitum, quem natura abhorret. Cunni muliebris corruptioni qui luem acceptum referunt, eis quoq; probatio incumbit, unde is primó inquinamentũ acceperit. Ex America, mercẽ precioſam nobis advectã, nemo it inficias, illic quidẽ populariter graſſatur, verendũ tamẽ, ne illis ab aſtris defluxiſſe, nobis veró cõtactu cõmunẽ redditũ, fateri nos oporteat. Noſtrũ morbũ e vulva nõ propagatum jampridem probatũ eſt.

Afflixit quidem plures, non tamen eapropter adeó generalem postulaverimus causam, quia Gutturositas convallibus Carniolæ & Styriæ frequens, imó popularis, illic & ἔνδημος, qua tamē haud omnes infestantur, ut aliis quibusdam regionibus straborum, gibbosorū, plures quám alibi reperias: quo etiam ἐπιμότης τȣ͂ πάσχοντος accersenda. Cometam veró Monarchis, Regibus, Principibus, heroibus & aliis summo rerum fastigio collocatis infausta portendere, neque ad humiliora sese demittere, jampridem creditum est: ac si hunc Regi Persarum mortem, Lusitaniæ tristissimam cladem, & Mauritaniæ Regulis internecionem, denunciasse impuné quis asseveraverit. Quid illi cum Brunna nostra privati negocii? Potenti nimirum & immensę causę, amplissimus effectus, in latum & amplum sese diffundens virtus, tribui debet: tamne angustis limitibus vis Cometæ terrifica definietur? Absurdum magis erit, quód e tribus urbis balneis, in unum duntaxat exitialis ejus facultas grassata fuit, ac si illic conclusa, ulterius debacchari non potuisset. Peculiarene fuit hujus balnei fatum, ut

ejus excidium minaci debuit prædici Cometa? Eóne ſolúm ſeminaria effuſa a ſideribus errantibus fuere? De origine quod affertur, fortaſſis non tam Solis hybernæ ſtationi quám nundinis tribuendum. Inſtitorum enim mercibus publicé diſtrahendis ſacrati dies cúm in id tempus incidiſſent, quibus fæx hominum & colluvies e pagis & agro vicino confluere ſolet, quid mirum, ſi majore ad balneas & præter ſolitum facto concurſu, aliqui contagioſarum mercium ſentinam eó exoneraverint? Et quód trium menſium ſpacio impuné quemvis corripuit contages, poſtea exauctorata, quaſi finẽ nocendi fecerit, forté nõ tam ſolis mutationi imputandum, quám quód in ea tempora inciderit interdictum, quo balneatori vetitum, ne artis munia exerceret, cúm ſua quoque ſponte refugerent homines contagioſi balnei ingreſſum, deficiente videlicet ſubjecto, cui deinceps infligeretur exitiale virus. Alieno malo tum cautiores redditi cæteri balneatores, levem ob ſuſpicionem, a ſuis arcebant domiciliis, omnes quos illic laviſſe aut aliquantiſper infectos noverant: eoque ad-

huc illæſi, ſinceri atque immunes perſti-
terunt. Μαντικὴν δὴ ἀστρολογίας, & phyſicas por-
tentorum, oſtentorum, prodigiorum e
cauſis ſublimibus ceu effectorum dedu-
ctiones & interpretationes, ut hiſce non
impugnamus, neque everſas volumus
(rem etenim controverſam privati juris
minimé facimus) ita neque prorſus infi-
ciamur, in morborum generationibus,
ordinato eorum progreſſu, rationalique
Methodo curativa inſtituta (exemplo
ſunt Critici & decretorii dies) tanquam
συναιτίας, aut ſi mavis συνεργούσας cauſas ſubli-
mes concurrere poſſe, potiſſimum Solis
Lunæque deliquia, & ſtatas ipſius muta-
tionum viciſſitudines, cúm ſanguini, &
humoribus, proinde affectibus, qui ex
humoribus dependent, Lunam domina-
ri, longus uſus, & rerum experientia nos
fateri cogat. Procul autem petitis princi-
piis inſiſtendo, quæ cominus, & ante pe-
des ſunt miſſis, cauſas in cœlo venari,
quis nobis perſuaſerit unquam? Medico,
artifici ſenſato, ſat fuerit, miſſis factis ſu-
premorum ſiderum ambiguis commi-
nationibus, aeris regionum qualitates, il-
li a ſuperioribus corporibus impreſſas,
ad

ad amuſſim cognoſcere, ſecundum normam illi ab Hippocrate traditam. Ita novum hunc morbum, contagio, e ſubjecto putri elevato, vi balnei in alia tradu cto corpora, inopinató emerſiſſe, ſi ſciverit, cauſarum peregrinarum, vel generaliorũ inveſtigatione curioſiore ad Metaphyſicos relegata, facilé quod illi eſt proprium, & feliciter, curationem aggre dietur & abſolvet.

Hæc de morbo novo: ubi ſi prolixius, verboſius, aut etiam odioſius, nonnullis quædam repetita & exaggerata videbũtur, inſerviendũ fuiſſe noverint theatro: cúm neq; dum e mentibus hominum exſtirpari potuerit falſa de morbi origine perſuaſio: pertinaciterque illius culpam in balneatorem conferentes, eundem, omnium ſuarum miſeriarum & afflictionum caput, & cauſam, adhuc quiritentur. Forté ſi alii ſuum interpoſuerint judicium, re in tranquillum reſtituta, & de noſtris & reliquo genere humano bene merebuntur. Quod ut faciant, etiam atque etiam rogo.

Brunnæ XV. VIIIBr.

M.D. LIIXXX.

THEOPHILVS HOMODEVS RHOETVS, MEDICINÆ Doctor, Lectori benigno S. D.

LAVDI *dabatur Homerico Vlyßi peregrinatio sua, vt & Platoni quòd auditum Pythagoræos in Græciam magnã, postea Gymnosophistas cognoscendi desiderio etiam in AEgyptum adnauigauerit. Me quoq;, cùm artis medicæ tyrocinia in Rhætia patria mea edidissem, exterarũ gentium inuisendarum cupido inuasit, vt consuetudine exercitatißimorum in arte medica virorum solidiorem mihi compararem medẽdi peritiam. Ex patria itaq; discedens in aulam Cæsaream primùm veni. Vbi me summa humanitate complexus est sapientißimus, & omnium nostræ ætatis medicorum Excellentissimus vir Ioannes Crato* Wratislauiensis *Cæsareus medicus & Archiater, cuius semestri familiaritate vsus in Morauiam me recepi, & in illius prouinciæ Archiatri Thomæ Iordani medici celeberrimi amicitiam insinuaui. Atq; eo quidem tempore lues hæc Brunæ grassabatur. Erudìtißimus autem hic vir, non solùm ægrorum curationi operam nauabat, verumetiam ortus, incrementa, & finem luis sedulò obser-*

obseruans omnia ægrorum accidentia diligenter inuestigabat, ac perpendebat denique quid quiuis consilij sequutus, quæ quisq; remedia etiā ex media plebe cepisset, strenuè inquirere minimè verebatur. De hoc itaque morbo summus hic Philosophus ac Medicus commentariolum conscripsit, & partim ne alios hæc labes latitaret, partim vt doctißimos quosq; viros hoc pacto stimularet, quò hac de re sententiam suam proferrent, promulgandum censuit. Ego verò operæprecium me facturum existimaui, si Indicem adderē, vt si cui libellus (licet mole exiguus, attamen nouitate materiæ gratus, ac inprimis vtilis) inter legendum tædium pareret, illi hoc pacto præcipua saltem capita ob oculos ponerentur.

Deniq; cùm eiusdem Eruditißimi viri scripta peruoluerem, fortè fortuna incidi in amplißimi ac in vnoquoque genere scientiarum doctißimi viri D. Andreæ Dudithij epistolā, quæ iudicium ipsius de hoc libello continebat. Eam mihi cùm descripsissem, huic opusculo annectendam censui, ne tanti viri censura te lateret. Vale & faue. Brunnæ quarto Cal. Iulij. M.D.LXXIX.

S. P.

MACTE VIRTVTE MI IORDANE ET FORTIBVS AVSIS.

PERCVRRI commentarium tuũ de Brunnogallico (quid enim prohibet nouo morbo nouum nõmen indere?) Deinde etiam legi paulò accuratius. Quid quæris? Ita me bene Deus amet, nihil in hoc genere legi doctius, nihil ad obſcuram & planè abditam rei naturam e tenebris in lucem proferendam accommodatius. Nihil non vides, nihil non ſuis ponderibus examinas, nihil nõ excutis. Quàm docta in explicandis rebus omnibus, quàm ſuauis methodus, quàm ſcitæ & neceſſariæ ægrotantium hiſtoriæ. Cauſarum autem inueſtigatio poteſt ne eſſe profundior? Quid verò excogitari poteſt firmius rationib. ijs, quas ad tuendam ſententiam tuam adhibes? Nihil vanum, nihil futile, nihil peruulgatum. Contrarias verò quæ pugnare in ſpeciem videntur rationes facilè euertis. Idem mihi ſanè eueniſſe ſenſi, quod opt. & doctiſſimus ille cõmunis noſter amicus

cus

cus Iulius Alexandrinus ſibi vſu veniſſe in legendo ſcribit. Nullas dubitationis fibras in animis legentium relinquis, ſed ſtirpitus euellis. Breuiter vbique delectas, doces, iuuas. Deſcriptio autē illa ciuitatis iſtius veſtræ, quàm iucunda lectu eſt? Equidem non dubito fore in longinquis nationibus complures, qui cùm ea legent, tam pulchræ, tam amœnę, tam ſalubris viſendæ vrbis ſtudio inflammentur. Mihi quidem faces admouiſti, etſi iampridem tuæ inprimis conſuetudinis deſiderio planè æſtuo, ac ſanctè tibi affirmo, niſi mea tempora, & non ſatis explicatæ rationes obſtarent, nuſquam libentius quàm tecum, quod supereſt ætatis, transigerem. Verùm aliò me fata mea vocant, quæ vtinam non ſint iniqua. Si tu in illis locis eſſes, in quæ ego commigrare conſtitui, nihil amplius requirerem. Cauſas non explico, ne aſſentari tibi videar, a quo vitio, & natura, & conſuetudine quam longiſſimè ſemper abfui. Redeo ad librum tuum aureum. Placet D. Iulio inſcribas, quemadmodum initio conſtitueras. Nam quod vis me N. προσφωνεῖν, quis ego ſum, obſecro, qui tan-

tam rem aggredi debeam? Ais te neſcio quid inaudiuiſſe de præfatione quadam mea in alium quendam libellum. Ita eſt, ſed ſimiles habent labra lactucas. Tua maiore religione, & grauitate tractanda eſſent. Suadeo, & rogo, vt primo quoque tempore ad Wechelum, ſiue quem alium typographum mittatur hæc tam bellæ, tam reconditæ doctrinæ referta commentatio tua, &c.

Pag. 35. exemplaris vitio commiſſa menda ſic corrige. Pro Indici ℔. v. *ſcribe, Indici* ℔. ß. *Loco* ℥ v. ʒ xv. ℥ xv. *vbiq; lege* ℥ ß. ʒ j ß. ℥ j ß. *Pag. 92. verſ. 2. pro videtur, l. videlicet.*

Abſceſ-

ABscessus quales fuerint pag. 12.13.14.15
Accidentia luis Brunnensis 6
Adamus balneator corā senatu accusatus 17
Ædificio balnei contagii causa nō tribuenda 66
Agaricus cur præparetur 61
Agens alteri non impertit qualitatem, qua ipsum destituitur 80
Alexander Petronius Romanus medicus insignis 64
Alopecia in hac lue non est visa 92
Alopecia vnde ibid.
Andernacus de turpeto scripsit 60
Angelicæ extractum 41
Anna Seplasiarii cōiunx lue correpta, quibus accidentib. infestata, quibus remediis vsa 33. *vsq; ad* 40
Antidotus cutaneis affectib. curādis præstās 35
Aquæ contagii Brunnensis causam non tribuendam 72
Ars in agentibus naturaliter non superat naturam 69
Arsicua & Arsicina Ptolemæo 1
BAlneator Euansiciensis, quib. remediis aduersus contagium hoc vsus sit 35
Balnei structuræ luis huius causam non tribuendam 66
Brunnæ etymon 1. *situs ibid.*
Brunnensis fluuii Niger, & Suuittanus 5
Brunnensis ager feracissimus ibid.
Brunnensium hominum mores & victus ratio 6
Bullæ lotio innatantes hydrargyro obductæ 64
Bubones hac lue infectis nulli fuerunt 92
CAtabaptistarū remedia contra contagium 27
Causa Brunnensis contagii quæ 82.84.86.94
Chirurgorum imperitia subsidia porrexit luis incremento 90

Colica affectio quo pacto in Italia grassari cœperit 51
Colica passione recens in lucem editos infantes affligi 52
Colicam passionem paralysis sequuta. ibid.
Colici dolores ex turpeti mineralis vsu 41
Cometa visus 98
Cometa principibus infausta portendit, ad humiliora verò se non dimittit 101
Contagium arte non excitatur 69
Contagium non a fornace profectum, ibidem. non a silicibus, ibid. non a vaporibus 71. non ab aqua 72. non a cucurbitula 73. 74.75. non a phlebotomo specillo 75.76. non a pinguedine, qua stigmata illinuntur 77
Cõtagii causa balnei structuræ non tribuenda 66
Contagii generationi quæ requirantur 79.80
Cucurbitula cur putredinis basis 88.89
Cucurbitulam contagii causam non fuisse 73. 74
Cucurbitis subiectorum locorum vnus, vel duo tantum ex pluribus exulcerata sunt 13
DEcoctum quo vsus autor aduersus luem 47
Discrimen inter luem Brunnensem & Indicam 57.58
Dolores Colici ex vsu turpeti mineralis 41
ELephantiasis luem secuta 45
Emplastrum Gryseum 22
Erastus medicus 54
Exercitatione crebra & valida ab hac lue curatus quidam 65
FLuuius Niger, & Suuittanus 5
Fomenta contagionis 93
Fornax contagii causa non fuit 69

GArgarismata Tengleri quæ & qualia 39
Gonorrhœa neminẽ hac lue correptum afflixit 57.92
Gulielmus de Lippa paralysi liberatus 52
HErba Britannica 51
Humores criticè e colo in neruos transmitti 54
Hydrargyrũ lotio innatans 64
Hydrargyrum peluis parietibus adhærere visum 44
Hyoscyamus peregrinus Tabacca fœmina dictus 24
IGnis immodica siccitate putredini resistit 70
Indicæ luis cautela præcipua 78
Indicæ luis focus iecur 62
Iudæus Elephantiasi correptus 86
Iudæus quidam lue extinctus 45.86
KOdroffskius eques Polonus validis exercitijs a contagio liberatus 65
LAconicum quid 20
Lues Brunnesis in quibus ab Indica differat 56.57.58
Lues Brunnensis Indici morbi remedijs curata 58.59
Luis accidentia 12
Luis Brunnensis seminaria a balneo profecta 12
Luis incremento Chirurgorũ imperitia subsidia porrexit 90
Luis principia vnde ex autoris sententia 82. vsq; ad 88
Lue Indica quæ membra primò polluantur 57
MAlignitas non semper copia, sed agendi vehementia & promptitudine æstimatur 92
Mentagra 51.56
Mercurius a præcipitato reuiuiscit 63.64
Mithridatum ab authore exhibitum infectis profuit 29
Morauia veterib. Marcomannia dicta 1

Morauia piscinis abundat 6
Morbus Brunnensis ex cõcubitu propagatus nõ est 100
Morbus hic nouus qua in re conueniat, & in quibus dissentiat a lue Indica 56.57.58
Morbus ibi est, vbi dolor, calor, frigus, sudor, &c. 89
Morbos nouos priori æuo incognitos extitisse 50
NEphritides turbith mineralis vsum subsecutæ, & alia multa mala 32.40.41
OPinio eorum qui existimarunt luem hãc e crinita stella, vel a diuerso astrorũ positu originem traxisse 98.99
Opinionis eiusdem confutatio 101
Ossium caries ab Hydrargyro oritur 63
PAulus Bursarius lue correptus miserè expirauit 43
Pellio Zahrdouicẽsis suffocatus 59
Phlebotomum specillum contagii disseminãdi instrumentum non fuisse 75.76
Pillulæ Barbarosæ a Rondeletio celebratæ 60
Pillulæ quibus autor aduersus luem vsus est 47
Pinguedini, qua stigmata illinuntur, causa contagii non tribuenda 77
Piscinis Morauia abundat 6
Principibus cometa minatur, ad inferiora se nõ dimittit 101
Pruna Brunnensia palato gratissima, & aluo ciendæ accommodatissima 4. *Eadem Myxariis comparantur* 5
Pustulæ quales lue infectos inuaserint 13.14
Putredo animantis accidens 81
Putredo quo pacto a cucurbitæ vestigio in totũ corpus transmissa 97
Putredinis basis vbi infixa 83
QVæstio pulcherrima, cur scilicet cucurbitula

bitula putredinis basis fuerit 103.104
Quæstio alia cur soli scal pro vulnerati, & cucurbitula vsi, labe infecti sint 50.51.52
Quercetanus turbith mineralis cõfectionem describit 60
RECidiuæ causa 39
Remedia aduersus pustulas 48
Remedia balneatoris Euansiciensis 46
Remedia Catabaptistarũ aduersus luem Brunnensem 27
Remedia quibus author lue infectos curauit 38. & 47
SCheittermanni vxor cõtagio infecta 41. quæ & qualia passa sit 42. 43
Semina cõtagii initio tenuia fuisse 96
Semina luis a balneo profecta 12
Seminaria contagii humiditatem deposcũt 70
Sena præparata 47
Silices contagium nõ disseminarunt 69
Spilmberg arx Moraviæ 1
Stomacace & Sceletyrbe 51. & 56
Structuræ balnei contagii causa non tribuenda 66
Sudor Anglicus 54. & 56
Sudorificum cõtra luem 48
Suspicio falsa eorum qui existimant, Balneatorem Indico morbo laborasse, & inde ortum esse contagium 77
Symptomata luis Brunnensis 12.13.14.15
TAbaccæ succus venenata vlcera persanat 64
Tabaccæ qualitates 91
Tenglerus aduersus hanc luem multa frustra experitur remedia 22.28 qualia illa fuerint. ibid.
Thermæ Viennenses 84
Thomas Brenner cũ coniuge morbo correptus 44
Toxicum e napello 76

Tractatus ordo 50
Turbith minerale 30.
illius incommoda 31. 39.61.62
Turpetum minerale assumedi modus 60. & 61
V*Apor distributioni cõtagis opem tulit* 71
Vapores in Balneo excitatos contagium communicare non potuisse, ibid.
Vencesilaus Rausch lue infectus 23. *quæ ipsum symptomata infestauerint* 24
Veneni scopus interitus 68
Venena e diametro cor oppugnant 69
Venenata vlcera sublimati vsu persanantur 64
Veratri præparatio in quem finẽ instituta 61
Virus vt a multis facilè comprehensum fuit, ita etiam ab aliquibus difflari & dissipari potuit 97.

FINIS.



